Romano-Cat... per MOldaviam episcopatus et rei Romano-Cat...

Wilhelm Schmidt

12

ROMANO-CATHOLICI

PER MOLDAVIAM EPISCOPATUS ET REI ROMANO-CATHOLICAE RES GESTAE.

QUAS

AD OPTIMORUM FONTIUM FIDEM PUBLICAM IN LUCEM PROFERT

GUILIELMUS SCHMIDT,

CAES REG. GYMN. PROF. ORD. PUBL. EMERIT. PLURIUM ERUD. SOCIETAT. ACTUALE MEMBRUM & CORRESPONDENS.

HUNGARICA REGIA SCIENTIARUM ACADEMIA PATROCINANTE.

BUDAPESTINI. 1887.

TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE »ATHENAEUM.«

PIAE MEMORIAE

EXCELLENTISSIMI

ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

FIDELIS DEHM

SANCTI FRANCISCI FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM ORDINIS RELIGIOSI, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, DEI & APOSTOLICAE SEDIS GRATIA COLOPHONENSIS, PARTIUM INFIDELIUM, EPISCOPI, NEC NON VISITATORIS PER MOLDAVIAM OLIM APOSTOLICI MERITISSIMI

etc. etc. etc.

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

AUTOR.

PRAEFATIO.

Excellentissimus, Illustrissimus et Reverendissimus Dominus, Fidelis Dehm, Dei Sacraeque Sedis Apostolicae gratia Colophonensis partium infidelium Episcopus et Visitator per Moldaviam apostolicus, quum ineunte salutis anno 1880 litteris mihi nuntiasset, suis in votis esse, ut operi praesenti scribendo manus adjiciam, hoc Illius arridens mihi desiderium non solum adinstar officii meis impositi humeris excepi, verum etiam Illius votorum ad effectum deducendorum periculum facere — non sine singulari quadam animi voluptate — mora non interposita sum aggressus.

Innumeris etenim et diversissimis Moldaviae rerum gestarum notionibus et monumentorum publicorum, ad quinque millium numerum accedentium copiaturis, per longam annorum seriem undequaque sumptuose congregatis, non videbatur mihi subeundus historiographi labor improbus ille, priusquam operi proposito componendo manum adjicere liceat, singulas in res, in earum causas et harum qui fuerint exitus, sagaci mente diu noctuque inquirere.

Sed Moldaviae rerum gestarum scriptores, quotquot sunt, vix ac ne vixquidem omnes, romano-catholici per hanc terram — illorum scilicet patriam, — episcopatus fata, minoris ea facientes momenti, summis tantum et abhorrentibus — ut ita dicam — labiis adtingunt, insuper etiam, veritatis incurii, trita plerumque praedecessorum suorum ingrediuntur semita, nullaque publicorum monumentorum hac in re habita ratione, legentis animum vel figura pascunt inani, vel suis in scriptis, his in locis, in quibus de romano-catholico per Moldaviam episcopatu, digitis extremis tractato, sermo seritur parcissimus, corporis cujusdam praebent membra disjecta, quae, nisi monstrum producere velis, in unum colligi nequeant.

Sic materia, licet — ut videbatur — diu parata, quum insufficens esset, omnem instituendi facilioris periculi conceptam spem elusit, et longius tempus, quam quod operi perficiendo par futurum rebar, singulis momentis perquirendis et extra critices jactum statuendis, erat consumendum. In portu videbar navigare posse, remis autem velisque petendum erat altum et vastum aequor.

Interim et anno 1883 Dominus Melchisedek, Romanensis in pristina Moldavia dioeceseos graeci ritus orientalis episcopus, lingua rumuna conscriptum libellum publicam in lucem edidit, sequentem praeseferentem titulum: »Papismul si starea actuala a biséricei orthodoxe in regatul Romaniei« i. e. »Papismus et status actualis ecclesiae orthodoxae in regno Rumaniae« Bukuresti 1883. 8 maj. 109. p.

Autor hujus opusculi, dum *»studium«* illud voceat, aperte vult, ut persuasum nobis habeamus, his in pagellis vigiliarum et laborum ad maturitatem perductum contineri fructum, quem, ad rem propositam litteris tempus omne consumens, communique bono deserviens vir eruditus, ex umbraculo fulgidum in solem et in publicarum viarum pulverem produxit. Verumtamen, dum plurimis in locis rerum catholicarum fusiorem in modum facit mentionem, non unavice nos docet, hoc illius in opere nobis potius agendum esse non cum studio nos instruendi, sed obcoecandi, non conciliandi, sed instigandi, non componendi, sed diruendi, quidquid animorum paci promovenda e videatur proficuum.

Asseclam se quidem — fere qualibet in pagina — sic dictae *»tollerantiae«* jactat illius, qua diversissimarum confessionum olim in Moldavia, Valachiaque, nunc in Rumuniae regno membra semper fuerant gavisi; nihilominus tamen eam quam induere sibi vult personam, plurimis in locis, et prope dixerim nimium in modum incautus, ipse proprio capiti suo detrahit.

Sparsus in vulgus rumor, quem ephemerides augebant, rem catholicam in imperio Rumuniae fore dilatandam, licet vagus et nullis certis limitibus circumscriptus, autorem tanto metu cujusdam orthodoxis imminentis periculi premebat, ut non solum in publica verna synodo, verum typis etiam pro suis aris et focis, quibus caeterum nemo violentam imponere tentabat manum, pugnaturus, publicam in arenam descenderet. Nihili ducebat, a multis jam annis regimini, catholicorum quoque saluti consulturo, cordi fuisse, horum catholicorum etiam rem ecclesiasticam, cui episcopatus non minori jure competit quam graeci ritus orientalis ecclesiae dogmata profitentibus, justum in ordinem redigere. Non cognoscebat insuper, vel potius cognoscere noluit, excelsum Rumuniae regnum, dum hoc assequi tentat et allaborat, non aequitatis tantummodo sed etiam justitiae legi, quemadmodum illius publicae dignitatis est, non alia mente cedere velle, quam, ut innumeris foederibus et pactis stabilitum fidei cultusque divini liberum exercitium, sub boni, justique regis et sapientium ejus consiliariorum cura tutelaque Romano-Catholicis omnibus in numeris et partibus etiam obveniat.

Verum quidem est, nullum hujusmodi foederum et pactorum a Moldaviae Valachiaeque principibus, utpote Turcarum vasallis, sed a sublimi Porta, scilicet utriusque Principatus domina, semper ictum et compositum fuisse. Sed post amborum principatuum, propitio

numine, felicem et gloriosam unum in regnum evectionem, communi gentium jure praescribente, quae Sublimis Porta promiserat, novo regno non segnius, et quum christianum sit, largius arbitrantur praestanda. Neminem nisi Dominum Melchisedek insuper latet, et regis et consiliariorum ejus reique publicae dignitati, salutique magis consonum esse, catholicorum in universo regno, vel in illius parte quacunque, pristina videlicet Moldavia, tutelam non ab extraneo quopiam christiano domino, seu rectius ab Austriae Serenissimo Caesare, Poloniae quondam regum hac in tutela successore, sed a regimine patrio praestari, quo scilicet omnibus Europae dominantibus pateat, hanc tutelam et generosissimam et latissimam semper futuram, eoque magis, quum rebus catholicorum hierarchicis, quibus hactenus opus fuisset, summa liberalitate, vereque regali mente provideatur.

Quum igitur autor superius adducti libelli de genuina rerum natura vix credibili laboret ignorantia, vel judicet perversitate, mirum non est, eum ecclesiae suae minantia videre spectra, vehementer exardescere, fideique suae defensorem agentem, armis, quae nec episcopum, nec pacis et veritatis amantem decent virum, non solum in rem catholicam impetu coeco procurrere, verum etiam — et nequaquam occulto modo — regi suo perniciem inevitabilem verbis in ambiguum haud implicatis praesagire velle, quum sequentem, caeterum ab historia, quin in id exceptio cadat, minime probatam proferat sententiam: »Moldaviae Valachiaeque dominantes, qui crederentur ad catholicismum inclinare seque ipsos ad instrumentum vile papismi deprimere velle viderentur, dominium una cum vita perdiderunt.[1])«

Nemo proinde mirabitur, tantae, dementissimaeque temeritatis virum, flagrans illud odium suum neminem celare, sed praedicare potius et in vulgus dilatare,[2]) quod unum plus quam sufficit, ut cunctorum oculis apertum fiat, quam perversa mente non minus perversum locum in libello suo tueatur.

Opus hoc *Melchisedekii* non minuebat igitur sed augebat laborem. Necessitatis etenim erat summae, cunctos errores, et hos inter — ut saepius manifestum erat, e consulto commissos, — perversam nonnullarum publicis e documentis desumptarum sententiarum interpretationem, multaque similia, quibus, non sine male tecta malitia veritas inflectebatur, ad liquidum perducere.

Huic, in quam compellebar, haud gratae necessitati deserviens, quae res tulit, in annotationes textui subjectas congessi.

Ut proverbia dicunt, verba movent, exempla trahunt.

Et hoc Romanensis graeci ritus episcopi perversum exemplum

---

[1]) *Papismul* etc. p. 19. »Acei Domni, ce sâr fi simtit ca inclinau catra catholicismu, si erau gata a deveni organe ale papismului, perdeau domnia, une-ori si viata.« i. e. »Illi terrae domini, qui propensi viderentur catholicismo, papismique comperirentur, instrumenta, imperium, interdum et vitam perdidere.«

[2]) *Ibid.* p. 19. »Nici o religie nii este urita Moldovenilor, ca eea papista« i. e. »nulla confessio Moldavis magis exosa, quam papistica.«

pedisequo non caruit. Bucovinensis etenim graeci ritus orientalis archiepiscopus et Bucovinae Dalmatiaeque metropolita, *Sylvester Andryjewicz-Morar,* mense Julio 1885 contumeliosum et ad romano-catholicorum sacerdotum injuriam confectum seu potius commentitum publicavit libellum, cui titulus: *Apologie der orthodoxen griechisch orientalischen Kirche der Bucovina* (4°· pp. 24.) i. e. Apologia orthodoxae, graeci ritus orientalis per Bucovinam ecclesiae, in quo elata fronte contendit, in Bucovina, priusquam in Austriae dominium cessit, igitur ante 1775, nullos unquam romano-catholicos domicilium fixisse, vitamque traxisse, quapropter hodiernus romano-catholicorum per Bucovinam late propagatus divinus cultus, modis quo fieri possit efficacissimis composcendo novationis periculo sit orthodoxis.

Quum autem *Cornelius Kolakowski* hunc minus opinatum, quia repente, simulque sine qualibet causa validam pugnam excitantem hostis impetum statim in ephemeridibus polonicis Czernovicensibus prostravisset,[1]) solius mihi Melchisedekii ratio sparsim erat habenda.

Quibus itaque in superius et modo dicta, nec tempestiva nec facili semper navigatione, felix meam oneraveram et compleveram ratem, haec justum suum in ordinem redacta lectori benevolo sequentibus in paginis non ea mente propono, qui me — thesauris advectis laetus dum incumbo — cunctorum potitum esse gazorum superbe jactem, sed ne, quod maximam ad partem ignotum hactenus, primaque vice publicam in lucem prolatum multis arbitror acceptum fore, bonis veluti moerens alienis animo malevolentia suffuso defodere velle videar.

Dubitandum non est, adhuc plura profecto superesse, quae feliciori quondam cursu meam sequentes viam, novamque feliciter indagantes collegisse juvabit.

Ad opus absolvendum alacri quidem tendebam animo, sed coecus ille novissimus in Moldaviae catholicismum impetus, qui factus non fuisset, si, quod illustrissimus Dehm — interim in patriam reversus vitaque functus — perfectum volebat, illius praedecessorum unus vel alter intendisset, moram imposuit, quin justo tempore perfici potuisset.

Quo latius autem opusculum divulgetur, obstante nativarum linguarum diversitate, latina lingua videbatur utendum.

Scribebam Soczaviae die nativitatis D. N. J. C. 1885.

Autor.

---

[1]) Cf. »Gazeta polska,« anni 1885.

ROMANO-CATHOLICI

PER MOLDAVIAM EPISCOPATUS ET REI

ROMANO-CATHOLICAE RES GESTAE.

Moldaviam, quam hodie Rumuniae regni provinciam vocamus, ab antiquissimis temporibus ad Romanorum imperatorem Nervam Trajanum usque, bellicosissima Getarum gens, Dacis juncta, colebat.[1]) Getas autem et Dacos Trajanus, felici pugnans Marte, saeculo post Christum ineunte secundo delevit, regionemque »Daciam« dictam, subjectam quidem, sed ob diutina bella viris penitus exhaustam, *ex universo Romanorum orbe* congregatis locupletavit colonis.[2])

Hos inter et plures fuisse, qui salubrem Christi sequerentur doctrinam, plurima testantur. Nam ut alto silentio traditionem praetereamus illam, quae S. Andream Apostolum in verbi divini praedicatione Scytharum in regiones, ultra Danubium itaque, Daciamque, finesque dacicos, ultra Pontum scilicet Euxinum pervenisse commemorat;[3]) Sanctorum jam Hieronymi et Gregorii Nazianseni verba disserte docent, Sanctum Paulum Apostolum in gentium conversione meridionalis Europae partes ad mare nigrum usque peragrasse.[4]) Quin imo et Apostolus Paulus ipse dicit, se cunctos, ab Hierosolymis ad Illyricum usque populos, itaque procul omni dubio Getas Dacosque Christi nuntio replevisse.[5]) Sanctus insuper Apollinaris, laborum S. Pauli socius, quum ab imperatore Claudio Roma pulsus, in Moesia, Daciae contermina Christum praedicaret crucifixum,[6]) dubium non est, in ipsa quoque Dacia, primis jam post Christum temporibus, christianam fidem non solum innotuisse, verum etiam propagatam et servatam fuisse.[7])

---

[1]) Cf. *Gulielmi Schmidt* de Getis et Dacis dissertationem in annalibus societatis ad penitiorem Transsylvaniae cognitionem coalitae, quae sub Archivi titulo Coronae 1859. 8 prodiere. Tom IV. p. 1—79. et 135—199.

[2]) *Eutropius* : VIII. 6.

[3]) *Eusebius* : Hist. eccles. III. 1.

[4]) *Minetti* : Syntagma hist. eccles. Tom IV.

[5]) *S. Pauli* Epist. ad Romanos. cap. XV. v. 19.

[6]) *Surius* Hist. eccles. Tom. IV.

[7]) Huc refero, quod anno 1858 ephemerides Coronenses in Transylvania litterariae : »Blätter für Geist Gemüth und Vaterlandskunde« sub Nro 47 de die 1 Maji lectoribus tradiderunt. Ibidem quae sequuntur legimus. In Transylvania nostra, Thordae, quae Salinarum nomine Romanis veniebat, in oppido, repertus est onyx, sequentem incisam sibi praeseferens imaginem : In super undas posita navi, sub arbore, cujus in vertice quodam consedit avis, cane comitatus vir conspicitur, impositum humeris animal portans, ipsamque navim, equo supposito marino, haec ornat inscriptio : »ΙΧΘΥΣ.« Sunt haec tanto numero locum in unum congesta fidei christianae symbola, quae rem significatam in dubium vocare minime

Quum autem Christiani Romanis hominum genus viderentur »superstitionis novae maleficaeque;«[1]) Trajanus insuper ipse non conquirendos quidem illos, delatos tamen puniendos commiserit:[2]) certo certius in Dacia quoque nec in lucem prodire, nec animarum pastores palam eligere sunt ausi.

Haec tristis rerum facies longe post Aureliani, Romanorum imperatoris, tempora perduravit, quibus — anno 247 post Christum — iidem Romani Gothis, eosdem prementibus, Daciam evacuare, Danubiumque trajicere sunt coacti.[3])

Gothos Arianorum erroribus infectos fuisse, notum est. Postmodum autem in misera terra, quam diversissimae vel inundabant vel armis perstrepebant gentes, Hunni puta,[4]) Gepidae,[5]) Avari,[6]) Langobardi,[7]) Bulgari,[8]) Pacinacitaeque,[9]) nullus haereditarius erat dominus, nulla certa possessio, nulla pax, nulla tuta quies, nullus cordium altiora petentium ardor.

Pacinacitarum sedes tandem illorum cognati,[10]) Cumani, »gens immundissima;«[11]) sibi vindicarunt. Hi quum praedae cupidissimi regiones popularentur vicinas, atque per Transsylvaniam, nominan-

---

permittant. Navis enim sanctam repraesentat ecclesiam, vir, animal in humeris portans, Christus est cum agno, nec est quod conjicere nos impediat, quominus avim columbam esse, sanctique Spiritus notissimam figuram designare judicemus. Canis et equus marinus animalia quidem sunt immunda, sed primis jam ecclesiae temporibus paganos et christianae doctrinae victoriam designant. Inscriptio nihil aluid est, quam ex initialibus graecorum vocabulorum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεῦ Υὸς Σωτὴρ i. e.: »Jesus Christus, Dei filius, salvator,« compositum, piscem denotans vocabulum, itidem graecum, unde piscis Christi symbolum erat. Lapidem hunc primi christiani saeculi reliquias esse, nemo rei gnarus negabit, et fidelium in Dacia praesentiae documentum. Aliud — non minus validum — annulus est, qui repertus in Várhely pago, capitalis quondam romanae jam Daciae urbis »Ulpia Trajana« locum occupante. Hic annulus in inserto sibi lapide vocem »Agula« praesentabat incisam. Hoc, usque medium in aevum, campanis, annulis et impostoricis orbis seu pateris aeque incisa vox nihil aliud est, quam composita seu formata ex sequentis *hebraicae* sententiae literis initialibus: Fortis es in secula domine!« seu »*A*tha, *G*ibbor, *L*eolam. *A*donay! Hac in interpretatione videtur U in AGULA omissum, sed quicunque plurium modernarum gnarus est linguarum, probe novit, gutturalem inter et liquidam illud U jam euphoniae causa interseri. Confer latinum »crux« et inde formatum hungaricum »curuz« et similia.

[1]) *Suetonius*: Nero XVI.

[2]) *Plinius*: Epist. X. 97. Cf. *Eusebii*: Hist. Eccles. III. 13.

[3]) *Eutropius*: IX. 9.

[4]) Cf. *Pray*: Annales Hunnor. Avaror. et Hung. 1762. P. I. Lib. II. p. 67. sq.

[5]) *Jornandes*: cap. 50.

[6]) Cf. A. *Bell.*: Comment crit. de vera origine et epocha Avarorum, cap. 2.

[7]) *Paulus diaconus*: De gestis Longobard. Lib. I. cap. 27.

[8]) *Tharaniewicz*: Initia Slavorum Leopoli 1870. 8. polon. p. 12.

[9]) *Constant. Porphyrog*: De administr. imp. cap. 37. et 38.

[10]) *Schlözer*. Collectio critica etc. Goettingae 1795. 8. germ., in dissertatione de Cumanis.

[11]) *Chronicon Zwettlense* ad ann. 1239.

ter autem per terram Borcsa, seu Coronensem hodiernam, frequentem et perfacilem in Hungariae regnum introitum et reditum haberent, rex Andreas, nominis hujus secundus, anno 1211 Sanctae Mariae theutonicorum hospitalis hierosolymitani fratres »ad custodiendum confinium« hac terra Borcsa donavit.[1])

Equites illi, crebris incursionibus hostem fatigantes, eumque, licet numero superiorem semper, victrici manu magis magisque reprimentes, primum in militaris virtutis admirationem Cumanos rapuerunt; quum autem et proceres hujus gentis ab equitibus humaniter et honorifice tractati traderentur, et quum ipsi Cumani, traditionis hujus velut veritatis documento, captivos, quos amiserant, nullo redemptionis praetio postulato, libertate donatos viderent: factum est, ut quidam ex illorum proceribus, una cum uxoribus, parvulis et servis ad baptismi gratiam convolarent.[2])

Horum — licet paucorum — anno 1224 facta conversio, surcutus veluti fuit, qui Strigoniensis archiepiscopi sedulo labore,[3]) Cumanorum inter et residuam in terra Valachorum gentem, profundiores agendo radices, perbrevi temporis intervallo tam uberes protulit fructus, ut in caule Domini non mediocris animarum congregaretur numerus.

Archiepiscopus enim Strigoniensis, pastor ille bonus, hoc in conversionis negotio, a S. Dominico de Guzman fundati et ab Honorio III. — 1216 — approbati Praedicatorum ordinis sacerdotibus usus, ob zelum suum, quem nemo negabit fuisse flagrantissimum, non solum a summo pontifice, Gregorio IX. voto pro Christi cruce cum Saracenis pugnandi fuit solutus,[4]) verum etiam dignissimis evectus laudibus.[5])

Ut autem animarum Deo lucratarum jam et illo juvante lucrandarum adhuc necessitatibus quam efficacissime provideret, ejusdem summi pontificis licentia, triennio post, anno videlicet 1227

Cumanorum Episcopatus in Moldavia

fuit autor, cui — sanctae sedis apostolicae plenipotentiario fultus assensu, similiter fratrem religiosum ordinis Praedicatorum, Theodoricum nomine, praefecit.[6])

Cumaniae, novaeque Dioeceseos limites, quos inter ob instabiles populi vagantis sedes, chorepiscopi munere Theodoricus funge-

---

[1]) Diplomatarium Transsylvaniae ed. *Teutsch* et *Firnhaber*, sumptibus c. r. scientiarum academiae Vienne 1857. 8. maj. pag. XIX. et p. 8. numero: X. Diploma caeterum sine dato.

[2]) *Ibid*: p. XXXI. et p. 40. num. XLIV. ex literis Gregorii IX. ad Andream II Hungariae regem, de dato: Romae 30. Aprilis 1231.

[3]) Cf. notam 6.

[4]) Literis de dato Anagniae 30. Julii 1227.

[5]) Cf. Bullarium Dominicanorum I. 27. Documentum de dato: Romae in Laterano 21 Mart. 1228.

[6]) *Ibidem* I. 26. eodem dato.

batur, aliis aliter definiuntur.[1]) Nobis meminisse sufficiet, eam terram, quae Valachiae nomen serius est sortita, diebus illis vocatam fuisse terram Prodnicorum[2]) et Cumaniam Alutam inter et Danubium, orientem et septentrionem versus esse querendam, insuper et Siculos, tunc temporis non hodiernis tantum sedibus circumscriptos, (licet eorum superbiam offenderet, communem cum exosis Cumanis Valachisque spiritualem habere praesulem), *Theodoricum* suum episcopum venerasse.[3])

Vasta sane regio, sudoreque plurimorum amore Dei proximique flagrantissimorum digna virorum. Ut itaque fidelium gregem sibi commissum facilius tueatur et augeat, exoratis ad id a summo pontifice literis,[4]) Theodoricus ab ordinis proprii magistro generali — 1228 — fratres requirit quam plurimos, qui missionariorum grave jugum voluntarie suscipientes, adscitis in hanc suam, operariorum in vinea Domini, societatem S. Francisci minorum patribus, ob exantlatos jam labores meritissimis et ab Innocentio IV. diversissimis, amplissimisque privilegiis munitis, *fratribus peregrinantibus*, ut speciali missionariorum congreationi dederunt originem.[5])

Quum autem novi semper Cumanorum principes, quos inter et

---

[1]) Cf. *Schlözer* l. c. p. 345.

[2]) Cf. *Schuller* in opere sub num. 1 in notis hic allato I sect 2. p. 185. nota 54.

[3]) *Teutsch* et *Firnhaber* l. c. p. XXX. et 45. num. XLII. anno 1228. sine dato.

[4]) Ut nota 2 pag. 13.

[5]) Mihi terminus »fratres peregrinantes« primum terminus technicus domesticus i. e. talis fuisse videtur, quo tam Dominicanorum quam sic dictorum Minoritarum religiosi, dum in claustris ipsi Deo servirent, fratres suos, missionum in laboribus detentos, nulloque certo gaudentes domicilio, designarent. Usus deinde — pervulgata hac vocabulorum significatione — tulisse potuit, ut haec expressio, nullo Dominicanos inter et Franciscanos seu Minoritas facto discrimine, transferatur ad omnes in genere horum religiosorum ordinum missionarios, quotiescunque in ecclesiae rebus gestis horum missionariorum occurreret mentio. Societatem autem, seu confraternitatem fratrum peregrinantium anno primum 1233 suam originem traxisse, plerumque narratur. Attamen illius e documentis publicis deprompta mentio prima non prius quam post unum fere saeculum serius in ecclesiae rebus gestis occurrit. Eapropter et *Fontana*, qui »Monumenta Dominicana« conscripserat, hoc in opere suo, pagina 183, dum annum 1324 attingit, sic scribit: Eodem anno Joannes pontifex injunxit magistro generali per bullam apostolicam: »Gratias agimus,« ut vicarium generalem praeficeret fratribus, verbum Dei inter gentes annuntiantibus, e quibus peculiaris quaedam congregatio confecta est, quae »fraternitas peregrinantium inter gentes propter Christum, dicta est.« Sic *Fontana*. Plane diversa leguntur in *Okolski*: »Russia Florida« Leopoli 1646. p. 17. »Fratrum peregrinantium fundatio haec in Russia, i. e. in orientali modernae Galiciae parte, licet habuit initium a S. Hyacintho in anno 1222, attamen fratres peregrinantes, missi pro Christo in diversas partes, primam originem habuerunt a *Gregorio IX*. in anno 1234, sicut patet ex bulla: »Cum messis etc.« pluries et non leviter errat. Inprimis etenim et Hyacinthus Odrowaz anno 1222 nequaquam fuit in Russia; secundo bulla: »Cum messis etc.« non est data 26 Julii 1234 sed 1233, et quod

Bart ille nominatissimus, ad baptismi fontem anhelarent — 1228 —[1]) et nec Theodorici praesulis, quem exemptum summus pontifex declaraverat,[2]) nec aliorum, quos inter et Sanctus *Hyacinthus Odrowaz* numeratur,[3]) vires operi suscepto pares essent, *Gregorius* IX. coram Hungariae regis primogenito *Bela* — 1234 — non solum peracerbe conquestus est, Cumaniae fideles ab orientalis ritus episcopis administratis refici sacramentis, verum etiam illum perquam enixe rogavit, ut huic malo, quibus authoritate sua posset, efficacissimis mederetur modis.[4])

Hanc ob rem autem *Theodoricum,* utpote penitus insontem, e sanctissimi patris gratia nequaquam excidisse, nos aliae, similiter *Gregorii* IX. docent litterae, quibus idem *Theodoricus* anno sequenti, scilicet 7 die Novembris 1235 jussus est eam disquirere litem, quae Transsylvanensem episcopum inter et Brassoviensem clerum exorta erat, cuique componendae Praenestinus episcopus a latere missus, incassum insudaverat. Partes, diem illis in futurum Sancti Michaelis archangeli festum dicendo, insimul in jus pontificium illi Romam erant vocandi.[5])

Dubitari tamen minime potest, hoc mandatum a *Theodorico*

---

majus est, ne minimo verbo quidem fratrum peregrinantium facit mentionem. *Naruszewiz* in historia gentis polonae (polon. Varsoviae 1786. 8 Tom VII. p. 43) non minus erronee contendit, *Innocentium* IV. hunc »juris parentem,« fratrum peregrinantium 1252 auctorem fuisse, quorum membra jam juxta *Gregorii* XI. dispositionem de 1a. Januarii 1374 turbulentis periculosisque temporibus in monasteriis Serethensi, Kamenecensi in Podolia, in Lancut, Przemysl et Smotrycz, ut et in monasteriis Leopoliensibus tutum quaerebant refugium. Caeterum hujus confraternitatis, e duorum religiosorum ordinum conflatae membris, qui jam proprii religiosi ordinis regula ad certam vivendi rationem adstringebat, id unum erat et summum propositum, ad majus et uberius animarum emolumentum assequendum, vel in necessitatibus tam spiritualibus quam temporalibus pro posse cujuslibet, invicem sese sublevare, vel juvare, vel viribus ad illud mutuae charitatis officium deficientibus, interventione specialis praepositi, majori pollentis authoritate, petita, rebus mederi. Praepositus hic, ut multa docent, Moldaviensis episcopus fuisse videtur. Ut alia multa sileam, Dominicanorum capitula, videlicet Montepessulanum anno 1456, Noviomagense 1459 et Senense 1462 celebrata dederunt in edictis, ut Moldaviensi sede vacante, magister provincialis Leopoli degens, fratrum peregrinantium curam suscipiat. Dominicanorum tandem capitulum, Romae 1608 coadunatum, hanc fratrum peregrinantium societatem abolitam pronuntiavit. Cf. *Sadok Baracz* : »Historia Praedicatorum ordinis in Polonia« polon. Leopoli 1861. 8. I. p. 166 nota 267 et p. 271 nota 396.

[1]) *Jablonowszki* : »Res moldavicae »etc. Leopoli 1878. 8 maj (polon.) p. VI.

[2]) De dato : Perusiae Idibus (13) Sept. 1229. Bullarium Dominicanor. VII. d. 8.

[3]) Cf. *Chodykiewicz*, »De gestis divi Hiacynthi. *Fontana* Monumenta Dominicana »etc. Primus illius vitam scripsit *Stanislaus de Cracovia* in medio XIV. saeculi, quemadmodum Vit. SS. commerant. Cf. *Fabricii* : »Bibl. latin. med. et infim. aetatis« VI. p. 201.

[4]) De dato : Perusii 18 Calend. Decemb. — 14 Nov. — 1234. Cf. *Benkö* »Milcovia,« Viennae 1718. 8. I. p. 113—115.

[5]) *Teutsch* et *Firnhaber* l. c. p. XXXV. et 60, num. LVIII., de dato : Viterbi VI Idibus — 8 Novbr. — 1235.

minime fuisse receptum, quippe quem multis ante missiles has litteras mensibus e vita migrasse conjicere licet. Rebus etenim aliter se habentibus, *Gregorius* IX. eiusdem anni et mensis die 24. post hebdomadum igitur duarum a priori mandato vix elapsum intervallum, eundem *Belam* principem nequaquam interpellare potuisset, ut de novo praesule, Cumanorum episcopatui praefigendo, providere studeat.[1])

Frustra tamen in publicis, ad nostra tempora conservatis, et res ecclesiasticas illustrantibus documentis ulteriorem quaereres Cumanorum episcopatus in genere, per Moldaviam autem in specie notionem. Quin imo vel ipse Cumanorum populus, potentissimarum impetitus gentium asiaticarum armis, atque cruento hoc in conflictu caesus et ad internecionem fere contritus, ultimam in emigratione salutem ratus, paucas, quot-quot supererant sui reliquias ex avitis in tutiores Hungariae traduxit oras.[2])

Adeptam ense terram victricia nunc simul et populabunda percurrebant *Mongolorum* agmina. Nec alius quisquam incolarum, Cumanis prius inspersorum, sanguinolentorum hostium saevitiam evasit, nisi qui in nemorosis et in praecipitibus montium anfractibus aut in munitissimis saltibus, adituque difficillimis aliis in locis refugium et quaesiisset et invenisset.

Altaria tunc vidisses eversa, diruta Deo dicata templa, sacerdotes crudelissimis cruciatos tormentis et ad trium dierum itineris intervallum vix unius et alterius tristissima domus vestigia.

Moldaviae, vicinorumque terra vastam in solitudinem erat vocata.[3])

Post Mongolorum tandem recessum nonnullae Cumanorum familiae pristinas repetierunt sedes, quibus *Ruthenos* quoque, perorientalem et septentrionalem terrae plagam sparsim domicilia figentes, quominus adnumeremus, nihil impedit. Crebras tamen ob *Tartarorum* incursiones, quum nec fertili solo sint gavisi, nec aucti numero, *Bela* IV., Hungariae rex, ne Cumaniam, utpote majorem ad partem et desertam et dubiae possessionis, penitus amitteret, eam litteris 2 Junii 1247 datis, equitibus S. Ioannis, qui postmodum *Rhodenses* et *Melitenses* vocabantur, hoc fine donavit, ut, sibi suisque successoribus feudales, quam plurimos liberae conditionis congregarent et deducerent colonos, finesque tuerentur.[4])

---

[1]) Cf. *Benkö* l. c. p. 109. e regest. *Gregorii* IX. epist. 282.

[2]) *Katona*: »Hist. regn. Hung.« V. p. 850 sq. Cumanorum in Hungari repertorum numerum, praeter uxores, alias foeminas et liberos, quadraginta millia virorum adaequasse dicit. In *Stritteri*: »Memoria populorum« etc. Petropoli 1771—1779. Tom. II. p. 589. legimus, decem insuper millia Danubium, uteribus incumbendo, transnatasse, latrociniisque Macedoniam et Thraciam infestasse.

[3]) Cf. *Rogeri*: »Carmen miserabile« edit. *Schwandtner* I.

[4]) De dato IV, alias III Nonas — 11 — Junii. Cf. *Teutsch* et *Firnhaber* l. c. p. XXXVIII et 147. Hae litterae donationales multis falsissime signatae dicuntur, quin causam proferant.

Sed autoritate gravi praeditorum historiographorum asserit sententia, equites illos, quum et humeri tantum onus ferre recusarent et fluctuans Belae regis animus exitium illis hungaricis e ditionibus minaretur, oblatam sibi Cumaniam, Danaorum veluti donum, nequaquam accepisse.[1]) Rerum attamen gestarum veritati contradiceret, si bullas apostolicas ab anno 1250 ad annum 1288 emanatas, et aperte de Cumania loquentes, ad eam Hungariae partem referendas arbitraremur, in qua, *Mongolis* cedens *Cumanorum* populus novam patriam adeptus fuisse perhibetur. Ipsius siquidem Hungariae regis *Ladislai*, Cumani dicti, litterae, quibus, 1288, servo suo fideli, certo cuidam magistro *Thomae*, bonorum possessionem confirmat, de Cumanorum ex Hungaria fuga »Tartarorum ad fines et terminos«, in pristinas igitur, e quibus migrarunt, modernae Moldaviae sedes, manifeste loquuntur.[2]) Similiter eodem anno, mensis Januarii die 8, magister quoque *Georgius Soovar* regias obtinuerat litteras, e quibus — prout ex summorum pontificum ordinationibus, mox dissertius commemorandis, distinctissime colligitur, Cumaniam hodiernae *Galiciae*, praesertim illi hujus austriaci regiminis provinciae parti conterminam fuisse, quam vulgo »Pokutiam« vocant,[3]) et Cumanos hic, itaque in Moldavia, tam diu habitasse, donec rebelles maxima sui parte in Hungariam remigrare sunt coacti. Pontifices autem romani, licet animarum Deo lucrandarum flagrantissimo ducerentur zelo, multifarias et justissimas ob rationes de Cumanorum episcopatu resuscitando minime videntur cogitasse. Populus nimirum et alioquin crudelis et sanguinolentus,[4]) Hungariae regi, cujus hospitalitatem imploraverat, rebellis, insuper sedibus de novo figendis et defendendis intentus, quae tam ob gentium barbarorum vicinitatem, quam ob Hungarorum vindictam spirantes animos erant incertissimae, nequaquam ea se praestare posse pollicebatur, quae fidei christiano-catholicae postulant morales doctrinae, vel quae praesulis ecclesiastici decent dignitatem. Ne tamen animarum salus ipsius ecclesiae romano-catholicae summi pastoris culpa detrimenti quid patiatur, *Innocentius* IV. missionariis, quibus jam 24 die mensis Januarii 1253 concedendarum indulgentiarum facultatem fuerat impertitus,[5]) bulla sua de dato 23 Julii 1253, cujus exor-

---

[1]) *Schlözer* l. c. p. 334. sq.

[2]) *Katona* l. c. VI. p. 668 distincte de Moldavia sequentibus loquitur verbis: »Quum pro reducendis Cumanis, qui clandestine (sic! multa millia et clandestine!!) aufugerant de finibus et terminis Tartarorum, quos nemo praedecessorum nostrorum peragravit, *ultra Alpes* etc. etc.« His enim duobus ultimis vocabulis Moldaviae regiones subintelligi debere, nemo justus dubitabit. »Alpes« Carpati montes sunt, Moldaviam a Transsylvania separantes.

[3]) *Idem* l. c. VI. p. 911.

[4]) *Nestor*: II. 132.

[5]) Bulla de dato: Perusii IX. Cal. Febr. — 24. Jan. — 1253 in Bullario Dominicanor. I. 222.

dium est: »Cum hora undecima sit dei«, non solum varia, peramplaque privilegia, verum etiam — si confirmationis et presbyteratus sacramentorum administrationem exceperis, — vix ac ne vix quidem omnia concessit jura, quae vel dioecesanorum sunt antistitum, vel apostolicae sedis legatorum.[1])

Singularis haec superabundans Christi vicarii gratia non solum per Cumaniam sed etiam ubicunque locorum paganas inter et haereticas gentes, in vinea Domini strenue laborantibus operariis concessa fuit, et pro Cumanis, qui in Hungariam, veram fidem profitentem, suisque gaudentem episcopis, remigrare fuerant coacti, fere nullius fuisset emolumenti, nisi bulla: »Quamvis universis et singulis regionibus« qua sanctissimus pater *Bonifacius* VIII. Veletrensem episcopum *Nicolaum* in Hungariam ablegaverat,[2]) doceremur, Cumanorum non paucos in avita, propterea que posterioribus quoque temporibus sparsim Cumaniae nomine venienti terra, remansisse. Hujus rei documento sunt quoque diversa locorum nomina, scilicet: »Comana«, »Comanestii«, »Vadum Cumanorum« et similia,[3]) quae minime possent explicari, si non admitteretur, haec loca a Cumanis condita, et ad illud usque tempus inhabitata fuisse, quo Cumanis, miseris jam populi sui his in oris reliquiis, non concedebatur Rumunos inter, vitam ad avitorum morum, consuetudinumque suarum normam amplius agere.

Ipsius autem Cumaniae nomen, his in regionibus usitatum hactenus, re ipsa temporis a momento cessisse scimus, quo *Dragosio* duce, »*Valachi Marumorusienses*,« Hungarorum imperium — ut nonnulli volunt — exosi,[4]) vel — ut aliis placet — contra Hungaris rebelles gentis suae homines, regis jussu pugnaturi,[5]) vel

---

[1]) Bulla de dato: Assissi X Calend. Augusti — 23 Julii — 1253 in eodem Dominicanorum bullario I. p. 237.

[2]) Bulla de dato: Anagniae 2º. Idus (13.) Maji 1301. *Ibid.* Tom. II. p. 61. sq.

[3]) Cf. *Frondescu*: »Dictionarium topographicum et statisticum« Bucurest. 1872. 8. maj. p. 183.

[4]) Hos inter—praeter *Thuroczium Melchisedek* in famoso libello suo, cujus in proemio titulum adduximus, dicit — p. 18. — Rumunos ob inauguratos a romanis pontificibus et hungaricis romano-catholicis episcopis, rerum publicarum eversiones, et ob religiosas in eos »graeci nimirum ritus orientalis asseclas, persequutiones Hungaria migrasse.« »Emigrati din Ungaria de persecutiunile religiose si politice ale Papilor, episcopilor . . . . « quod subscribere, qui rerum Hungariae gestarum gnarus, veritatisque fuerit amans, gravabitur. Cf. notam seq.

[5]) Hanc sententiam firmare videtur *Ludovici* regis Martii 1360 subscriptum diploma, quo Dragosio huic, *Gyulae* filio, Olacho de Marmarusio, villas regales *Zalathnia*, *Harpatakfalva*, *Kopacsfalva*, *Deszefalva*, *Hernershaza* et *Sugatukfalva* vocatas, in Marmarusio sitas donat, ob servitia sibi regnoque praestita »in plerisque negotiis et expeditionibus sibi commissis et confisis, specialiter autem in restauratione terrae Moldavanae plures Olachos rebellantes, a via debitae fidelitatis deviantes, juxta suam industriosam virtutem ad constantem fidelitatem observandam reducendo.« — Cf. *Fejér*: Cod. Dipl. Reg. Hung. T. IX, Vol. 2,

tandem felices — ut alii ferunt — contra *Tartaros*[1]) in serius »Moldavia« dicta terra bellatores,[2]) anno 1359 hanc in regionem descendisse dicuntur,[3]) et sub Hungariae regis auspiciis novi principatus fundamenta posuisse traduntur.

Communis vult fabula, venaticam *Dragosii* canem »Molda« dictam, in cujusdam — Dragosio sociisque penitus ignoti fluminis exuberantibus aquis suffocatam fuisse, fluviumque dehinc animalis in memoriam »Moldava« dictum, hodierno Moldaviae nomini suam originem causasse.

Hujus *Dragosii* proximos inter successores unus, *Laczko* vocatus, quum ecclesiae romano-catholicae propensum praeseferret animum

Episcopatus Cerethensis

in Moldavia fuit auctor.

Evangelii nimirum Christi praecones, — quibus pontifex maximus *Joannes* XXI. anno 1321, mensis Octobris die 23 quaelibet a praedecessore suo *Bonifacio* VIII. concessa comprobaverat privilegia,[4]) quibusque 20 die mensis Aprilis 1332 nova fuerat impertitus,[5]) — ordinis Praedicatorum et S. Francisci fratrum minorum

p. 159, num. 72. — Hoc diploma clare docet, Dragosium et Valachos in Hungaria fideles et obedientes regi fuisse servitores, adeo, ut ipsius jussu Moldaviam occuparent. Nihil hic de rerum novatione per »Papam et episcopos, et religionis causa tentata persequutione; nihil de quacunque causa, cur Valachi pertaesi fuissent Hungarorum regimen. Quin imo fidelitas regaliter remuneratur primo statim anno, post sic dictam »emigrationem«, quae revera bellum erat adversus regi rebelles motum, et hos vel ideo devincere deposcens, ne Moldaviae, seu hactenus, i. e. ad 1359 adhuc Cumania vocata terra, Hungariae rex privetur. Ita se rem habuisse meridiana luce clarius fit, si — quemadmodum et debemus — non obliviscamur, in terra Moldavana »plures Olachos rebellantes, a via debitae fidelitatis deviantes« hoc in diplomate nominari, quos »juxta suam industriam« *Dragosius* ad fidelitatem reduxit. Si persequutionem passi fuissent Valachi, quemadmodum vult *Melchisedek*, a rege per summos pontifices et episcopos exacerbato, si pertaesus fuisset cum suis Valachorum dux Hungarorum imperium, et de migratione cogitasset, non movisset in suae gentis homines bellum, nec fuisset, cur a grato rege consono meritis praemio sit affectus..

[1])Sunt, qui Valachorum in Hungaros odii migrationisque sententiam sequentes asserere satagant, ante *Dragosii* descensum in Moldaviam, de *Valachis* in hac terra rebellantibus, et a *Dragosio* non solum devictis, verum etiam ad Hungariae regis obedientiam reductis, nullibi mentionem fieri, quapropter *Dragosio* nonnisi cum Tartaris bellandum fuisset. Ut his assentiatur, adductum *Ludovici* regis diploma, Dragosio factam donationem contestans, spurium et interpolitum probandum esset.

[2]) Fortassis de bello cum *Tartaris* tanto contenditur ardore, ne Moldaviae per Dragosium occupatio cadat. Nam si Valachi per Dragosium erant debellandi, nec primus in Moldaviam venit, nec se dominum illius ipse creavit.

[3]) Cf. *Hurmuzaki*: »Fragmenta ad hist. Rumunorum« (germ.) Bucurest. 1878. 8. I. 250.

[4]) Bulla de dato: Avignione XII. Cal. Nov. (21 Oct.) 1321, in Bullar. Domin. II. p. 154.

[5]) Bulla de dato: Avinione XII. Cal. Maji (21 April.) 1332 l. c. II. p. 196.

sodales, zelo flagrabant indefesso, profitentes graeci ritus orientalis ecclesiae dogmata, rectam salutis in tramitem traducere.

Non modice politica rerum facies eos hoc in opere juvabat.

Anno quippe 1340 *Casimirus*, Poloniae rex, hujus nominis tertius, *Rubrae Russiae*, modernae scilicet *Galiciae*, Moldaviae confini parte potitus, eam 1341 *Ludovico* tradidit Andegavensi, quem tunc Hungariae regnum obtinuisse scimus. Hic, quum Moldaviae terram, Cumanorum quondam, Hungariae subjectorum, sedem, ut suam reposceret, et per Valachos Maromorusienses imperio suo subjiceret, fidelitati Dragosii confisus, non denegabat assensum, ut per eundem Dragosium novus Hungaris feudali vinculo conjunctus [1]) inauguretur principatus. Haec autem in Moldavia rerum facies non oberat, quin statim primis temporibus inter gentem valachicam vel ut hodie vocatur »rumunam« catholici sacerdotes, missionariorum munere fungentes, circumirent, et a veritatis tramite longe deflectere videntur, qui dicant, *Laczkonis* primum diebus, hos Dei servos in Moldaviam venisse, quum episcopatus Cerethensis exordia sua sumeret.[2]) Legimus etenim, patribus *Paulo* de *Schwidnitz* et *Nicolao Melsak*, ordinis S. Francisci minorum conventualium fratribus, in Laczkonis residentia Valachorum conversioni jam intentis, quum anno 1369 limina SS. Apostolorum visitandi cepissent consilium, a principe simul in commissis fuisse datum, ut *Urbanum* V. summum pontificem rogarent, qui non solum Moldaviae principem et populum in maternum ecclesiae romano-catholicae sinum recipiat, verum etiam in civitate capitali Cerethensi romano-catholicam ab Haliciensi penitus exemptam episcopo, sacraeque romanae sedi immediate subjectam episcopalem erigat sedem.[3])

Veritati deservientes, nec possumus, nec etiam volumus alto silentio praeterire, hujus conversionis desiderii motiva non omnino fuisse purissima. Ad intimi cordis affectum, qualiscunque fuerit, causae quoque mundanae seu politicae graves accedebant. Non enim summi pontificis eum fallebat potentia, quae christianum terrarum orbem universum nutu regebat, adeoque *Ludovici*, regis arcere poterat impetum, hic si deponere illum cogitaret, ipsumque regem placidiorem reddere. Uxoris insuper taedium, et novae ducendae desi-

---

[1]) In id omnes fontes conveniunt, exceptis fabulosis ipsius populi chronicis, hactenus nequaquam critice dilucidatis.

[2]) *Melchisedek* dum in opere suo Papismul etc. p. 9. dicit, missionarios catholicos in Moldavia non fuisse ad Laczkonem et Cerethensis episcopatus erectionem, e consulto veritatem historicam declinat.

[3]) Ut *Paulus* dictus de *Schwidnitz*, loco scilicet natali, sic *Melsak* secundum tenorem epistolae Poloniae regis anno 1370 zupario *Boner Joanni* datae, Varmiensis capituli oppidum fuisse legitur. Cf. Acta Tomiciana T. V. p. 185. num. CXCI. Caeterum haec Schwidnitzii Melsakique principis in capitali praesentia, quid de verbis Melchisedekii sit arbitrandum, aperte docet. Plura sequentur in textu, rem nostram evincentia.

derium illum excrutiabat, quod ultimum fide mutata facillime satiari posse putabat.[1])

Quomodocumque fratres *Paulus* et *Nicolaus* romano pontifici terrae statum, genuinum principis animum, populique non disparia desideria verbis effingebant aeque veris ac vivacibus: nobis profecto sufficit, *Paulum* V. praeteritarum per missionarios Deo juvante perfectarum per Moldaviam conversionum probe gnarum, principio precibus annuisse, litterisque »apud montem Flasconem die 24 mensis Julii 1369 exaratis,[2]) *archiepiscopo Pragensi* simulque *Vratislaviensi, Cracoviensique* praesulibus, »vel alterutri eorum« dedisse in mandatis, ut non solum *Laczkonem* adeant, illius et popularium fidei professionem excipiant, verum etiam Moldaviae principatum in dioecesim redigant, episcopalem illi pastorem praefigant, ecclesiam cathedralem erigant, verbo, quaecunque similibus in casibus fieri solent, faciant. — De praemissis Laczkonem etiam propriis ad eum datis edocuit litteris.[3])

Cerethensium fratrum Praedicatorum, S. Joannis Baptistae honoribus dicatum templum, quod *Margaretha, Petri* Moldaviae palatini mater, una cum monasterio 1380 exstruxerat et in sepulturae suae locum designaverat,[4]) in cathedralem ecclesiam est evectum.[5])

Inclaruerat haec Dei ter Optimi sacra domus posteris temporibus piis Christi fidelium peregrinationibus per octavam, sacratissimi corporis Christi festo dicatam, institutis, quae peregrinationes miraculosas aegrorum ob sanationes perfrequentes erant. Fons etenim aquae jugis in ecclesia sub altari majori emanans, et corporale, quod effuso consecrato vino tinctum, indelebilia praeseferebat rubea — ut credebatur — sacratissimi sanguinis Christi vestigia, quam plurimorum credentium et misericordiae Domini per sanctorum ejus intercessionem confidentium spem conceptam non fallebant.[6])

---

[1]) *Hurmuzaki* l. c.

[2]) Cf. *Raynaldum* Tom. XVI ad ann. 1370 num. 7 p. 845. Similiter etiam apud *Fejér* Cod. Dipl. Regni Hung. Tom. IX. Vol IV. num. CXLIV. p. 246. sq.

[3]) *Fejér* l. c. Tom. X. Vol. IV num. CXVIII. p. 12.

[4]) E documento *Petri* Moldaviae palatini seu vayvodae, quo fratribus Praedicatoribus Cerethensibus reditum de Ceretensis civitatis lance publica dat, donat et dedicat, anno 1384, in quo ipse dicit: »Attendentes qualiter domina *Margaretha*, mater nostra dilecta et honorabilis, in civitate Cerethensi ob reverentiam Dei et beatae Mariae matris ejus, ac beati Joannis Baptistae ecclesiam et locum religiosorum fratrum Praedicatorum construi et aedificari fecit, pro salute animae suae et nostrae, ac parentum nostrorum, in qua praedicta domina mater nostra sepulturam suam elegit.« Cf. Sadok Baracz l. c. II. p. 499.

[5]) Testimonio posterioris aevi documentorum.

[6]) *Okolski* »Russia Florida« p. 136. Vel ipsi graeci ritus orientalis asseclae, quos inter et *Bohdanus* Moldaviae princeps — ineunte XVI. saeculo — ut inferius narretur, huc confugere soliti erant, corporis doloribus et defectibus consulturi.

Sunt, qui Cerethensem episcopum ipso jam erectionis anno — 1370 — hac Dominicanorum ut cathedrali gavisum ecclesia tradant. Nos autem, licet nobis hodierna die telegraphis et telephonis concessum sit, justo — procul dubio — scrupulo laboramus, credere velle, cunctis in erigenda dotandaque sede juris tam publici quam privati rationibus per unius anni spatium satisfieri potuisse. Quum insuper constet, *Laczkonem* litteris *Urbani* V., in contextu citatis monitum fuisse, qui cathedralis ecclesiae *statuendae* curam habeat, et quum certum sit *Margaretham* Cerethensium patrum Praedicatorum templum erexisse, quam post annum 1370 vixisse, vel saltem ad filii, terrae domini latus in Cerethensi civitate degisse scimus, asserendum est, initio Cerethensium episcopatum partium infidelium episcopatum eo magis fuisse, quominus princeps et populus unionem cum ecclesia romano-catholica videatur approperasse.

Princeps — ut superius dictum — in conversione sua Byzantinorum imperatoris *Joannis Palaeologi* pernotum imitaturus erat exemplum, qui *Saracenorum* hostiles incursiones armata christianorum occidentalium potentia quo facilius reprimeret, Romae coram *Urbano* V., summo pontifice — 1369 — romano-catholicae fidei publicam professionem emiserat.[1]) Quum autem *Ludovicus* Hungariae rex metuitam non minaretur *Laczkonis* depositionem, hic in amplectendis rom. cath. dogmatibus brevi segnior factus est. Insuper *Gregorius* XI. occupata post *Urbanum* V. S. Petri cathedra, hunc Moldaviae principem, quem divortium a conjuge sciebat anhelare, litteris commonuerat, ut matrimonii vinculum sanctissimum arbitretur et revereatur, propriaeque si consulere velit saluti, conjugis quoque — diversae fidei — conversionem habeat cordi.[2])

Sic opus Moldaviae convertendae — nam principem vere conversum fuisse multa negant [3]) — eo minus prospero gaudebat successu, quominus graeci ritus orientalis antistites, alienigenae, sibique timentes, ipsius pontificis litteris id testantibus,[4]) romano-catholicae fidei favebant, conversionis negotium aequis intuebantur oculis, et, quae sentirent, celare satagebant.

Quum itaque *Laczko* schisma tollere non posset, quod summus

---

[1]) Cf. *Allzog:* »Hist. eccl.« Moguntiae 1882. 8. germ. II. p. 19 et 74.

[2]) Cf. Bullarium Ord. Praedicator. T. II. 281.

[3]) Licet non dubitemus, Laczkonem fucato conversionis animo, pontificis auctoritate suum in emolumentum abuti voluisse, non auderemus tamen — ut *Melchisedek* in »Papismul« etc. p. 8. et 9. fecit, nonconversionem illius inde colligere velle, quod sepulcrum illius in episcopali, graeci ritus orientalis ecclesia Radovicensi hodiedum videre liceat. Haec enim ecclesia Laczkonis temporibus nondum fuit exstructa, Radovicensisque civitas ineunte saeculo XV in sedem episcopalem est evecta. Facile proinde fidem inveniet illa sententia, quae Laczkonis ossa vult aliunde Radovicensem in ecclesiam translata fuisse, non obstante ignorantia, unde?

[4]) *Fejér* l. c. IX. Vol. IV. p. 246—248.

pontifex illi dudum jam injunxerat,[1]) Domini messem praeparantium animos et erigere et confortare necesse fuit.

Non alia profecto de causa *Gregorius* XI. non missionarios tantum, sive fratres peregrinantes,[2]) verum et servos illorum, fidos et intrepidos aerumnarum et vitae periculi socios[3]) multifariis gratiae suae largitionibus cumulabat, et enixis assensum praebuit precibus, quas *Elias Petitus*, generalis praedicatorum ordinis magister et fratrum peregrinantium vicarius, intentione moverat ea, ut periculosis vel turbulentis temporibus certa claustra Poloniae, Cerethenseque fratribus peregrinantibus,[4]) tuto sint refugio.[5])

Hos inter verbi divini praecones *Nicolaum de Melsak*, quem sacerdotes S. Francisi minorum ordinis viginti quinque juvabant,[6]) et ejusdem ordinis *Jacobum de Strepa*, qui serius — 1392 — sedem archiepiscopalem Haliciensem est adeptus, et persoluto naturae debito beatorum coetui adscriptus,[7]) speciali laude commemoratos legimus.

Licet autem rerum in Moldavia facies non favisset sedi praesulis in Cerethensi civitate, cujus nomen erat portatura, statim erigendae, nihilominus episcopus Cerethensis absque mora post pontificis dispositionem electus et consecratus fuit.

Hic tamen silentio non est praetereundum, hactenus notos Moldaviae rerum gestarum scriptores, quotquot sunt omnes, dum in oris, hujus terrae ecclesiae romano-catholicae statum, collustrare laborant, nec debitam fratrum peregrinantium societatis facere mentionem, nec Cerethensium etiam episcoporum quae probari possit, seriem exhibere.

Quilibet eorum sui praedecessoris crescentem eundo fabulam reproducendo, veritatisque fontes — aditu quippe difficillimos — contemnens, obiter, ut ita dicamus, ea pertractat, vel tacitus penitus praeterit, quae vicissim ita sese redintegrant, ut ab illo tem-

---

[1]) »Magazinul pentru Dacia« i. e. »Repositorium pro Dacia« III. p. 140—141 in nota.

[2]) Bullar. Ord. Praed. II. b. 282, »Cum vos ad terras.« Datum Avignone II. Nonas (6) Martii 1374.

[3]) *Ibidem*: »Qui relictis parentibus,« de dato eodem quo bulla praecedens. Cf. Bullarium *Ususmarii* p. 8.

[4]) Bullar. Ord. Praed. II. p. 292 e Bullario *Castellani* p. 67. »Fidei orthodoxae propagationem« de dato: Romae apud S. Petrum V. Calend. Februarii (28 Jan.) 1387.

[5]) Romae V. Cal. Febr. (28 Jan.) 1374. Cf. Privilegia extracta e bibliotheca Bononiensi, Venetiis 1516.

[6]) *Nowodworski*: »Encyclopaedia eccles.« Polon. Varsoviae 1874. I. p. 597. sq.

[7]) »Apostolatus SS. Cordis D. N. J. C.« Leopoli 1879. 16. polon. p. 65. Beati hujus archiepiscopi corpus Leopoli fidelium venerationi non denegatur, et praesertim S. Francisci sodales, qui Leopoli non morantur, magna diu peroptata sibi gratia ducunt, si quietis illius in loco, sacrum illis celebrare conceditur.

pore, quo Cerethensis erecta fuerat sedes episcopalis, constare seorsim nequeant. Hanc etenim sedem initio non S. Dominici religiosis, licet in hac vinea Domini sub S. *Hiacyntho* primis operariis, fratrumque peregrinantium societatis auctoribus, collatam reperimus, sed S. Francisci fratribus minoribus impertitam. Multo tardius, praesertim post sedis illius *Bacoviam* translationem, et S. Francisci fratres minores et S. Dominici filios continuis subsequis alternis vicibus in illam evectos legimus. Vel inde patet, sic dictorum patrum Franciscanorum per Moldaviam merita nequaquam vel parvi pendenda, vel minori laude, minorique publica comprobatione prosequenda censeri posse.

Hanc ob rem episcopalis in Moldavia dignitas cum onere suo, tacito quodam eam conferentium consensu, vel ignoto nobis pactis sancito foedere, religiosorum virorum humeris imponebatur talium, qui publice, solemniterque factae votorum professionis memores, ob flagrantem in Deum et proximum amorem, illecebris omnibus pro Christo postpositis, in animis coelo lucrandis vel ipsam vitam — si ponenda foret — corde lubenti, vultuque hilari pro suis ovibus immolarent, vel in hoc beatorum *Blasii, Marcique,* sancti Francisci fratrum minorum ordinis religiosorum exemplum sequuturi, quos, 1349 Cerethensium in civitate martyrii coronam adeptos fuisse legimus.[1])

Seriem Cerethensium episcoporum *Andreas* inchoat, ille S. Francisci ordinis religiosus, qui, quum die 9 mensis Maji 1371 fidei fidelitatis et obedientiae juramentum Romae publice deposuisset,[2]) juxta tenorem instrumenti die 9 Augusti, similiter anni 1371 Leopoli confecti, *Dreslao,* Praedicatorum ordinis, Elatensi, *Nicolao*que, minorum ordinis, Signensi romano-catholicis episcopis praesentibus, per *Florianum*, episcopum Cracoviensem, solemniter fuerat consecratus.[3])

Omnes Moldaviae rerum gestarum scriptores, non aliter et Poloni, *Wasilonis* illi nomen »et accipitris« arma [4]) dum adtribuunt,

---

[1]) *Wadding*: »Annales minor.« Tom. VII. p. 242. Fragmentum pervetustum vitae b. Blasii publicavit »Bibliotheca instituti Ossolinskiani« Leopoli 1864. 8. maj. p. 173. sq.

[2]) *Theiner*: »Monumenta Poloniae »etc. Romae 1860. Vol. I. p. 660.

[3]) *Idem* l. c. p. 664.

[4]) »Accipiter« seu »Jastrzebiec« quae dicuntur arma, cunctis heraldicis etiam notissima sunt sub nomine »Lazanki« vel »Bolesty,« primitus una tantum erant, in campo caeruleo aurata solea ferrea, cujus incurvatae superiori parti crux erat imposita, similiter aurea. Quum autem anno 1079 stirpis Jastrzebiec unus in s. Stanislai Szczepanowski, Cracoviensis episcopi violenta morte conjuratorum socium egisset, posteri hujus coacti sunt, soleam invertere, partem itaque incurvatam humum versus, crucem autem in ipsius soleae medio depingere. Tertia »Jastrzebiec« arma fuere, cujus incurvatio humum spectabat, superius autem strictus gladius soleae ramos, ut ita dicamus, disectos occupabat, ob fratricidium a quodam stirpis jastrzebicianae commissum. Cf. *Gatterer:* »Armorum scientia« Normibergae 1748 p. 128.

et *Elisabethae*, Hungarorum reginae confessorem fuisse dum contendunt, a factorum veritate quam longissime deflectunt. Insuper non sui proprii, laboriosi studii, quaerentes et offerentes fructus, verum obviis quibuscunque, raptimque collectis notitiis contenti, non animadvertunt et eum quoque *Nicolaum*, quem secundum ponunt episcopum apocryphum esse.

Sequens est enim hactenus a Moldaviae caeterisque, praesertim Polonorum rerum gestarum scriptoribus, in quibus rerum ecclesiasticarum occurrit mentio, Cerethensium episcoporum proposita series.[1])

I. Andreas accipiter Wasilo, s. Francisci minorum ordinis 1371.

II. Nicolaus, s. Francisci minorum ordinis 1384.

III. Stephanus Rutheni, Praedicatorum ordinis 1388.

IV. Stephanus Martini, Praedicatorum ordinis 1395.

V. Joannes Sartorius, Praedicatorum ordinis 1400.

Quametsi hac in episcoporum serie, quoad tempus occupatae per singulos antistites sedis, nulla — sicut dici solet — interna contradictio videtur obvertere, quia nullius ecclesiasticum regimen decenii spatium excedit; tamen multa sane sunt quae scriptoribus dubium movere potuissent, *hanc* assensu dignam esse seriem. Nam, idipsum jam, tres subsequos sibi praesules ordinis fuisse Praedicatorum, quod fratrum s. Francisci minorum piis meritis detrahere velle videtur, caute fuisset suscipiendum et probandum, et *Andreas accipiter Wasilo* probe secernendus ab *Andrea*, per *Florianum* Cracoviensem episcopum consecratum.

Nam e fontibus Cerethensium episcoporum sequens resultat series :

I. Andreas I., ordinis S. Francisci 1371—1374 (?)

II. N. N. 1374—1380 (?)

III. Stephanus Rutheni, Praedicatorum ordinis 1380 ad ?

IV. Andreas II. accipiter Wasilo 1385 (?) ad 1387.

V. Joannes.

VI. Stephanus Martini, Praedicatorum ordinis. 1394.

VII. Joannes Sartorius, Praedicatorum ordinis 1400 ad ?

Hanc unam episcoporum Cerethensium seriem credibilem esse, nemo tam rerum gestarum quam publicorum illius temporis documentorum gnarus in dubium vocabit.

Vladislaus etenim *Jagiello*, magnae Lithvaniae dux, quem *Hedvigem*, Andegavensis *Ludovici*, Hungariae Poloniaeque regis filiam, et cum sorore *Maria* paternorum regnorum haeredem, uxo-

---

[1]) Hanc producunt *Kemény*, *Pray*, *Sulzer*, *Hurmuzaki*, et alii quam plurimi.

rem duxisse scimus, abjurata fide pagana, susceptaque romano-catholica, Poloniae rex factus, omnem movit lapidem, ut suam quoque Lithvaniam in Domini caulem compelleret. His tandem ecclesiasticis Lithvaniae rebus optatum in ordinem feliciter reductis, datis Vilnae 17 februarii 1387 litteris, *Andream Wasilonem* episcoqum Cerethensem, in episcopatum Vilnensem vocasse perhibetur.[1])

Jam ipso temporis circumstantiarum respectu *Wasilonem Andream* igitur primum Cerethensem episcopum fuisse negemus, e praemissis patet.

Nam, verum quidem est, *Ludovicum*, qui non Hungariae solum sed et Poloniae coronam erat adeptus (1370—1382) a se neglecti Poloniae regni curam *Elisabethae*, matri suae, commisisse, nec dubium obvertitur, quin huic reginae *Wasilonem*, confessarium suum, episcopali dignitate remunerari, summis fuerit in votis; sed quum *Andreas Wasilo*, qua Cerethensis episcopus, 1387 in Vilnensem cathedram evectus fuisse testimonio regalium litterarum superius adductarum perhibeatur, *Stephanum* autem *Rutheni*, Praedicatorum ordinis religiosum jam 1380 Cerethensi videamus in episcopatu:[2]) *Wasilo* nequaquam primus fuisse poterat Cerethensis episcopus, neque sedem ab anno 1371 ad 1387 occupare. Et quum itaque hujus *Stephani Rutheni* praedecessor, *Andreas* vocatus, et a *Floriano* Cracoviensi consecratus episcopo, primus Cerethensis fuerit episcopus, admittique nequeat, unum eundemque *Andream* — communiter *Wasilonem* dictum, — binis vicibus, interposito nimirum aliquot annorum intervallo, Cerethensem sedem occupasse: *Andream, Stephani Rutheni praedecessorem*, et *Andream Wasilonem, Stephani Rutheni successorem* diversas personas fuisse, nemo justus negare poterit. Hinc liquet, *Andream Wasilonem, Accipiter* dictum, nequaquam primum — ut hactenus asserebatur, — Cerethensem episcopum fuisse dicique pesse.

Nullibi tamen e fontibus *Nicolaus* emergit ille, quem, nescio quo pacto, ad annum 1383 jam *Andreae* primi successorem nobis obtrudunt.

Unus Timon[3]) ad *Raynaldi* respiciens annalium ecclesiasticarum annum 1374, narrat, *Clementem* V., pontificem maximum, *archiepiscopo Colocensi* commisisse negotium, ut Moldavis illorum linguae peritum mitteret episcopum. Inde quoque sequeretur, Cerethensem episcopum factum fuisse suffraganeum archiepiscopi Colocensis, et cathedram anno 1374 vel *Andreae I.* morte, vel ideo vacasse, quia primus ille episcopus, quum Moldavorum lingua penitus ignarus

---

[1]) Cf. *Szainocha*: »Hedvigis et Jagiello« Leopoli 1861. 8 (polon.) edit. II. Tom. III. p. 231.

[2]) Bullarium ord. Praedicator. Tom. II. p. 304.

[3]) *Timon*: »Imago Hungariae novae« Tyrnaviae 1735. 16. p. 145.

fuisset, et, ob nondum compositas de mensa, similibusque rebus essentialibus in Moldavia sedem figere noluisset, dignitati suae renuntiaverat. Quum autem constet, *Stephanum Rutheni* post *Clementis V.* superius adductas, et Cerethensis dioeceseos orbitatem testantes litteras, anno nimirum 1380, sex itaque annis elapsis, Cerethensem in episcopatum evectum fuisse, nihil obstat, quominus ab anno 1374 ad annum 1380 novum, dubium tamen quoad nomen episcopum admittamus. Num *Nicolaus* appellatus sit — ut e praemissis haud liquet — sub judice posita res est.

Alium quoque, hactenus temere, pertinaciterque vulgatum errorem veritatis amicos diutius celare non possumus. Non illum, qui commissus videtur, dum *Stephani Rutheni* nominationis annus 1388 fuisse contenditur, sed eum, qui cunctorum adtentionem hactenus effugerat et in episcoporum Cerethensium serie latet, in qua *Stephanus Martini*, pariter Praedicatorum ordinis, *Stephani Rutheni* successor immediatus fuisse perhibetur. Breve siquidem *Bonifacii IX.*, summi pontificis, anno 1394 *Stephanum Martini* Cerethensem pronuntians episcopum, de dato: Romae apud S. Petrum VI. Idus (8) Junii 1394, *Joannem* nominat, Cerethensem episcopum, — *»qui extra curiam romanam diem clausit extremum,«* et post quem *»vacatione hujusmodi fide dignis relationibus intellecta«*, nominationem successoris *Joannis* episcopi *»ea vice specialiter«* sibi pontifex dicit reservasse, episcopumque nominatum omnibus episcopalis muneris privilegiis et juris potestate qualibet privat, nisi sedem suam in Cerethensi civitate fixerit.[1])

Commemorati distinctissimis his verbis *Joannis* episcopi Cerethensis, et *Stephani Martini* praedecessoris immediati, nemo hodiernam in diem fecit mentionem.[2])

Incassum autem susceptus labor esset, eruere velle, cui Cerethensem episcopum designandi jus eo tempore competierit.

Recte caeterum tradunt, post *Stephanum Martini*, quem totius ordinis sui — cujus praecipuum decus erat — votum ad episcopalem dignitatem evexerat,[3]) *Joannem Sartorium* sequutum fuisse. Natus in Russia (inde forte *»Rutheni«*), pariterque Praedicatorum ordinis vivendi regulam amplexus, ultimus fuit Cerethensis episcopus, quorum singuli — temporum in decursu — diversorum Archiepiscoporum regimini paruerunt.

Andreas etenim I. non videtur exemptus fuisse, sicut in Cerethensis episcopatus erectione Laczkoni fuerat in votis, sed *archiepis-*

---

[1]) Bullarium ord. Praedicator. II. p. 344.

[2]) *Sadok Baracz* in Hist. praedicator. ord. II. p. 42 eum adducit quidem, sed cum *Joanne Sartorio* confundit — comissum autem anachronismum — haud excusandum non animadvertit.

[3]) *Idem* l. c. p. 39.

copi Strigoniensis suffraganeus,[1]) quum e contra subsequis diebus Cerethenses vel *Colocensem*,[2]) vel *Leopoliensem* archiepiscopum[3]) sibi praepositos venerarentur.[4])

Diximus jam primorum Cerethensium episcoporum vix unum alterumve sedem suam Cerethensium in civitate fixisse, Moldaviaeque scriptores non vanas ob causas asserunt, eos vel Poloniae regum in aula,[5]) vel ad suorum latus archiepiscoporum, vel aliis diversissimis fungentes officiis, episcoporum infidelium in partibus plerumque nomine venire.[6]) Haec autem rerum facies a *Stephani Martini* temporibus mutata nobis apparet, cui nominato distincte fuit injunctum: »Volumus autem, ut quamprimum praesentes litteras habueris expeditas, ad ipsam ecclesiam accedas, et resideas personaliter in eadem, quodque pontificalia officia extra tuam civitatem et dioecesim Cerethensem nequeas exercere.«[7])

Nequaquam tamen dici potest, fidelium in Moldavia numerum adeo fuisse perexiguum, ut episcopo pastore nec indigeret quidem.[8]) Bulla siquidem *Bonifacii IX.* summi pontificis, cujus prima verba sonant: »Exultat cor nostrum« Romae 6 Januarii 1389 datae, peregrinantium societatis fratribus collata privilegia dum confirmat, de magno, doctrinam ecclesiae romano-catholicae profitentium incolarum numero distinctam facit mentionem.[9]) Nec est, cur eum miremur. Vetustissima nimirum per Moldaviam hodiedum supersunt in ecclesiis, in sepulturarum lapidibus et in monumentis publicis vestigia, tam *Saxones* quam *Hungaros* et *Siculos* e propinqua *Transsylvania* venisse, quorum ultimi pagos, priores autem civitates implebant, vel originem plurimis potius dederunt, et non alterius quam romano-catholicae fidei fuerunt asseclae.[10])

---

[1]) Cf. Series episcoporum Premisliensium r. l. Viennae 1844. 8. p. 27.

[2]) *Kedzierski* in »Nuntium de propagatione sanctae fidei in Moldavia et Valachia« Bullarium adducit Franciscanorum II. p. 57, ut probet episcopos Cerethenses archiepiscopo Colocensi fuisse subjectos. Sed infelici casu hoc in loco penitus alienum a re nostra, nimirum id legimus: »Pontifex archiepiscopum Colocensem hortatur, ne quemdam episcopum Syrmiensem *Olivier* impediat ad franciscanorum ordinem transire.« Nobis *Timon* documento. Cf. not. 3 pag. 26.

[3]) Resultat e contextu narrationis inferioris.

[4]) *Unus Naruszewicz* in »Histor. gentis Polon.« Tom. VI. p. 20. *Gnesnensis* archiepiscopi dicit eum suffraganeum fuisse, quod in fontibus minime probatur.

[5]) Idem facit et *Szajnocha* l. c.

[6]) *Sadok Baracz* l. c. II. p. 39—40, nota 64.

[7]) E nominationis brevi, superius jam adducto.

[8]) *Hurmuzaki* l. c. dicit, plures fuisse episcopos, quam fideles et *Melchisedek*, p. 9 in *Papismul* etc. aperte negat ante Cerethenses episcopos in Moldavia missionarios fuisse.

[9]) *Wadding* l. c. Tom. IX. p. 149 sq.

[10]) Qui Transsylvaniensium, praesertim Saxonum longe lateque se protendens commercium perpenderit, falsum esse perspectum habebit, quod *Melchisedek* in famoso »Papismul etc.« p. 15 contendit, Saxones nimirum non prius quam *Sigismundi* regis temporibus in Moldaviam venisse, nominatim anno 1420.

His bene perpensis, facile meritoque conjicere licet, quam perversum in modum veritati vim inferant, qui contendant, catholicismum in Moldavia Cerethensis episcopatus diebus, nullum fuisse, nullaque commemoratione dignum esse.

Cerethensium episcoporum ultimum, *Joannem Sartorium*, Moldaviae princeps, *Alexander* »Bonus« dictus, coegerat ut:

Episcopatus Cerethensis Bacoviam translatio

perinstanter apud S. Petri successorem urgeatur et evincatur.

Quamprimum etenim dictus *Alexander* princeps anno 1401 Moldaviae dominium obtinuerat, omni studio medendis illis incubuit malis, quae praedecessorum incuria publicam terrae salutem adeo labefactaverant, ut, illis non sublatis, communis ruina videretur inevitabilis. Hanc igitur ut eo facilius et eo certius evitaret, non solum legibus, ad »librorum basilicorum«[1]) normam ferendis providit;[2]) verum rem etiam ecclesiasticam rectum et politicis regni sui circumstantiis adaptatum in ordinem ita redegit, ut justo merito »Moldaviae conditor« dicatur.

Sed non romano-catholicae fidei stabiliendae, dilatandaeque coeperat consilium.

Ut scilicet *Laczkonem* ipsum, sic reliquos illius in principatu successores nihil fecisse constat, quo romano-catholicorum fidelium numerum, episcoporum et sacerdotum auctoritatem et emolumentum augeant. Non impediebant quidem quae fiebant, sed etiam non ju-

---

Liceat alia tacere; vel ipsum Alexandri boni, Moldaviae principis decretum, de dato Suczava 8 Octobris 1407 (Cf. *Schmidt Guiliel.*: »Memorabilia civitatis Suczaviensis«, Czernovitiae 1876. 8. germ. p. 250 sq.), quo teloneum a mercatoribus solvendum fixerat, Saxonum Transsylvaniensium facit mentionem, qui terram incolebant. Cf. *Fejér*: »Cod. Dipl. Reg. Hung.« IX. 4. 50 et IX. 4. 335. — *Engel*: »Hist. regni Hung.« II. p. 151. et alios quam plurimos. Justa communique scriptorum sententia Saxones moldavicarum urbium erant fundatores, ad quas demigrare et Siculis Hungarisque Sigismundi regis exspectare tempora, nequaquam erat necesse. Donationes moldavicorum pagorum saltem, in quibus Hungari, Siculique, colonos agerent, jam exeunte saeculo XIV. publica documenta nobis perhibent.

[1]) Hoc officiali nomine venit — graecis jureperitis collaborantibus — exeunte saeculo IX. sub imperatore *Basilio Magno* inchoata, et sub *Leone* »Sapiens« dicto, finita cunctorum eorum collectio, quae *Justiniani* legum e codicibus et novellis adhuc subselliorum erant in usu. Novam editionem procuravit *C. G. E. Heimbach* 1833—1850 Lipsiae, apud typographum *Barth*, quinque voluminibus in quarto. Huc referenda quoque »Synopsis« — scilicet »Basilicorum« e libris basilicorum inter annos 942—957 confectus ordine alphabetico extractus, quam synopsim *Leunklajus* Basileae 1575, sed ipsorum »Basilicorum« ordinem sequutus, publicam in lucem edidit. Cf. *Zachariae*: »Historia graeco-romani juris privati« Lipsiae 1864. 8. p. 115 sq. quod tamen opus est rarissimum, utpote non pluribus quam 120 exemplaribus proelo subductum.

[2]) Unus *Gebhardi* in »Historia Moldaviae« ed *Gatri* et *Gray* p. 109, nota 1 in dubium temere vocavit, libros basilicorum ab Alexandro fuisse introductos.

vabant, et quum incolarum pars, longe maxima, constanter ecclesiae Byzantinae, seu graecae profiteretur dogmata, quae naviculam suam in Moldavia diversissimis agitatam videbat procellis, hanc unam ut in tuto poneret, terrae suae, graeci ritus orientalis ecclesiam, metropolitam ei praefigendo,[1]) sedesque suffraganeas episcopales erigendo, independentem facere summis viribus est aggressus.

Ochrida nimirum — 861 — conversorum et subsequis temporibus christianam fidem prolatantium *Bulgarorum* capitalis civitas, archiepiscopalis erat sedes,[2]) quae — felici rerum concursu — non solum regni bulgarici, verum etiam — suorum ecclesiasticorum praesulum circumspecta pastorali cura, vigilantiaque — patriarchatus et titulum et jura sibi vindicaverat, [3]) et nemine contradicente dehinc exercebat.

Stephanus Duschan, cognomine »Fortis« (1336—1356) effecit, ut Servia sibi vicinis dominaretur populis, utque patriarchatus dignitas *Tyrnavam* transferatur, sed antiquae Daciae regiones, quas inter et Moldaviam recenseamus oportet, Ochridae remanerent antistiti subjectae.

Non videmus etenim, varia licet rerum in vicissitudine, subversam fuisse illam orientalis ecclesiae partitionem profecto notissimam, quam *Justinianus* imperator introduxerat undecima novella,[4]) qua statuit, ut »*prima Justiniana,*« Daciae nimirum quondam antiquae, simul itaque *Moldaviae* quoque terra, novam illi episcopalem sedem *Ochridae* figens, auctoritati sedis *Thessalonicensis* omnibus numeris et partibus subducatur.

Novi praesulis *Ochridae* titulus abinde sequens invaluit: »Archiepiscopus primae Justinianae, Ochridae, totiusque Bulgariae.«[5])

Quum autem intestini tumultus et civiles perturbationes ultimis decimi quarti saeculi temporibus servo-bulgaricam conquate-

---

[1]) Metropolitanae ritus orientalis in Moldavia dignitatis originem rerum gestarum scriptores — quolibet veluti dubio remoto — concordi tradunt sententia. Dicunt autem immediatum Alexandri boni praedecessorem, »*Jugam*« dignitatis hujus auctorem primumque nominatum ab illo Moldaviae metropolitam »*Theoctistum*« vocatum fuisse. Hoc autem assertum vel ideo veritati contrarium et nihili ducendum arbitramur, quia non solum nullis, fidem postulantibus et evincentibus nititur argumentis, verum etiam contradictorii plurimum involvit. Quis enim, ut alia mittamus, brevi regiminis Jugae spatio, vix annum complectente, vajvodam hunc vel ipsius mensae metropolitanae titulum, possessorum terrestrium et alia jura multifarie tangentem, absolvere potuisse contendet. Quis metropolitam dicet eum, qui suffraganeis, ab Alexandro, Jugae successore creatis, caret etc. etc.

[2]) Cf. *Golubinsky* : »Brevis conspectus Hist. bulg. serb. rumun. ecclesiae orthodoxae« (moscov.)

[3]) Cf. *Drinov* : »Res eccles. bulg. gestae« (bulgarice) Viennae 1869. 8.

[4]) Reproducta novella in »Magazinu pentru Dacia« ed. *Laureani* et *Balcescu* (rumun.) Bukuresti 1846. 8.

[5]) *Miklosich* et *Müller* : »Acta patriarchatus Constantinopolitani ab anno 1315 ad 1402.« (graece) Viennae 1860. 8. I. p. 491.

rent rempublicam, quibus archiepiscopalis Ochridae sedes vacabat,[1]) anno nimirum 1371—1376, summi hujus dioeceseos pastoris officio *Rubrae Russiae*, partis nimirum hodierne *Galiciae* metropolita fungebatur,[2]) *Antonius* nomine,[3]) qui proprio nutu *Josephum* et *Meletium* in ritus orientalis episcopos consecratos,[4]) eo fine Moldaviae violenter obtrusit, ut subsequis quoque temporibus his in oris auctoritate sua quam plurimum valeat.[5])

Hoc in studio, quamvis minime laudando, frequens Moldavorum usus sacerdotes e *Rubra Russia* accersendi,[6]) plurimum eum juvabat.

Laczko Moldaviae princeps coaevus, licet gravioris momenti rebus, tam rei publicae quam suis propriis occupatus, ecclesiasticum hoc *Haliciensis* metropolitae regimen erat perosus et ideo non coercendum statuit *Paulum Tagarim*, hominem illum audacissimum,[7]) qui Constantinopolitani patriarchae figuram induens, serius, anni 1387 nimirum decursu, magna Hungariam visitaverat pompa,[8]) *Simeonem*que, Hieromonachum quemdam, ac si jurisdictionem Ochridanae sedis contemneret, Moldavis independentem dederat metropolitam.

Excipientes sese brevibus temporis intervallis in provinciae regimine principes, haec parvi pendebant et non curabant, quo factum est, ut quum *Tagaris*, sacrilega fraude detecta, justas sui sceleris poenas dedisset, *Simeon* quoque loco sit motus, etiamsi *Tagaris* fraude deceptus et caeterum innocuus videretur. Constantinopolitanus autem patriarcha, »magnum caput ecclesiae,« synodi nimirum quae summum orientalis ecclesiae magistratum repraesentabat, ne minimo verbo quidem *Simeonis*, etiamsi non propria culpa semoti, vel ideo faciebat mentionem, ut callida reticentia sua fructum capiat de sublatione auctoritatis sedis Ochridanae per Moldaviam habitae, quam auctoritatem *Simeonis* nominatione *Tagaris* de facto sustulerat.

Hac ratione patriarcha proprii spiritualis regiminis ambitum in Moldaviam quoque distendere posse minime dubitabat.

Id re tentaturus, anno 1399, mense videlicet Augusto, Moldaviae metropolitam immisit, qui — vir quum esset violentus et protervus — nullo rerum personarumque habito respectu brevi tem-

---

[1]) *Melchisedek*: »Chronicon Romanense« (rumun) Bukuresti 1874. 8. I. p. 57.

[2]) Titulus ejus »*Haliciensis*«, ipsius autem erectae sedis annus 1301. Cf. »Historica delineatio dotationis Cleri ruthenici in Galicia« (germ.) Viennae 1861. 8. p. 32. sq.

[3]) *Miklosich* et *Müller* l. c. I. p. 578.

[4]) *Ibid.* II. p. 241. sq. et 529. sq.

[5]) *Melchisedek* l. c.

[6]) *Miklosich* et *Müller* l. c. II. p. 228.

[7]) *Ibid.* l. c. II. p. 224, ubi perversi hominis istius propria de se narratio continetur.

[8]) *Miklosich* et *Müller* l. c. II. p. 228.

pore flagrantissimum omnium eo magis in se conflaverat odium, quo magis Constantinopolitanus patriarcha praecipitatis admodum et inconsulte missis anathematis jaculis communem invidiam exaggerabat.[1])

Quinquies interim post Laczkonem, non sine magnis cum Hungariae Poloniaeque regibus bellis et intestinis perturbationibus, terrae dominium subierat mutationem. Major indies talibus in turbinibus animorum concitatio tandem ut compescatur, *Alexander*, sextus post Laczkonem princeps, pace cum finitimis composita, facile cognovit,[2]) non solum intrusi metroplitae relegationem omnibus esse peroptatam, properandamque, verum etiam orientalis ecclesiae publicam in Moldavia constitutionem — ut omnium desideriis satisfiat, una tantum a sede Constantinopolitana solutione vel etiam avulsione consequi posse.

Moldaviam itaque, temporibus jam ab antiquissimis, duas in partes, in inferiorem videlicet et superiorem divisam, duobus imprimis commisit episcopis,[3]) Neoforensi videlicet,[4]) Radovicensique.[5])

[1]) *Ibid.* II. p. 232 et 256. Caeterum metropolitam hunc, utpote propriis Byzantini patriarchae sumptibus viventem, regionarium et non in specie moldavicum dicendum arbitror.

[2]) *Ibid* II. p. 241. Cf. et *Melchisedek* l. c. scil. Chron. Roman. ubi documenta huc spectantia, rumunam in linguam translata, verbotenus reproduxit.

[3]) Huic rerum genuinae propositioni puerilem et ridiculum in modum adversatur *Pumnul* (Cf. ejusdem : »Conspectus properus« — rumun — Czernovitiae 1865. 8. p. 78.) et eum sequentes, quum episcopos primum hac solum intentione dicant ab Alexandro nominatos fuisse, qui S. Joannis Novi, martyris, reliquias majori pompa Suczaviam possit deferre, quum in ecclesia S. Georgio dicata, reliquias has publicae devotioni statuisset exponere.

[4]) Hoc nomine publicis in documentis civitatem hodie »Roman« dictam denotatam fuisse legimus, attamen ab eo solummodo tempore, quo *Stephanus*, »Magnus« dictus, in antiquae Romanensis urbis proxima vicinitate, nimirum in loco, quo prius »Semendria« Romanorum colonia stetisse perhibetur, novam civitatem condiderat. Episcopus graeci ritus orientalis Romanensis in vetustissimis documentis metropolitae insignitur titulo, quem tamen titulum non alia profecto de causa vindicare sibi poterat, quam quod, quum Romanensis prima fuerit sedes episcopalis erecta, subsequarum veluti mater sit aestimanda. Romanensem autem episcopalem sedem primam in Moldavia fuisse, vel ex usu patet, quo Romanensis episcopus publicis in solemnitatibus primas prae caeteris post metropolitam partes deferre consuevit. Quia tamen publicum erectionis hujus episcopalis sedis instrumentum temporum injuria periit, determinari nequit, quo demum anno primam suam traxerit originem.

[5]) In caesareo-regia Bucovinae tabula servatur protocollum membrorum illius comissionis c. r. aulicae, quae »forum productionale« repraesentans, in noviter ab Austria vindicata terra possessionis examinabat titulos, quibus singulae personae vel corporationes suis fundis, pagis etc. etc. utebantur. Hoc in protocollo Radovicensem episcopatum spectantium diplomatum illud est primum, quod pp. 247 et 242 est annexum, et testatur, 8 die mensis Augusti 1420 terrestres possessiones *Radnutz*, *Kotzman*, *Sadova*, *Suchoverka*, *Rohozna*, *Klivodinul* et *Davidestie* mensae titulo Radovicensi praesuli fuisse donatas. Et hic igitur verus erectionis annus reticetur. Nobis probabile videtur episcopum nominatum quidem et episcopalibus juribus usum, attamen vel proventibus pristinae coeno-

Prioris illarum dioecesium ambitus circulis seu »cinutis«[1]) Bakow, Putna,[2]) Roman, Tutova, Tekeutz et Vaslui circumscribebatur; Soczaviensis circuli minor pars, cum districtu Czernoviciensi, Chotinensi, Dorohojensique Radovicensis episcopi curae suberant; Soczaviensis circuli pars altera, cum hujus nominis civitate — protunc provinciae capitali, districtus »coloniae Jassiorum«,[3]) Botoschan, Herleu, Carligatura, Niamtz et Orhej, pastorali metropolitae parebant regimini,[4]) qui sedem suam Soczaviae fixerat, ideoque et Soczaviensis dicebatur archiepiscopus.

Princeps *Alexander*, hac graeci ritus ecclesiasticarum rerum dispositione sufficientem securitatem se adeptum fuisse sibi persuasum habens, tam patriarcham Constantinopolitanum, quam Haliciensem metropolitam finibus ditionum suarum arcendi cepit consilium. Timebat autem simul et Cerethensis episcopi romano-catholici perfacilem cum propinqua sibi Polonia contactum, quum probe sciret, Polonos Moldavis naturali quodam odio venire.[5]) Mente igitur conceptam terrae suae reformationem ecclesiasticam non prius est aggressus, antequam ipso statim sui regiminis initio Cerethensem episcopum *Joannem Sartorium* eo perduxisset, ut summo pontifice consentiente, Baccoviae ulteriorem episcopalem sedem figeret.

Ipsa summi pontificis *Eugenii IV.* bulla: »Provida hujus sedis apostolicae cura« de dato Florentiae XVII. Calend. Octobris i. e. die 15. Septembris 1439.[6]) hanc episcopatus loci mutationem, per *Bonifacium IX*, pontificatus illius anno decimo tertio[7]) factam fuisse

---

bialis illius dignitatis, qua donec episcopus nominaretur ornabatur, vel subventione quadam ex aerario publico, villarum illarum ad donationis tempus gavisum fuisse.

[1]) Vocabulum a »centum« totidem villas complectentem denotabat districtum, et hac significatione medii germanis aevi — cf. Zent, Zentgraf — similiter notum erat.

[2]) Districtus Putnensis, a Stephani »Magni« Moldaviae vajvodae temporibus, *XV saeculo vergente*, Valachis armata manu ereptus, *accessit.*

[3]) Sic hodierna civitas »Jassi« Romanis, quibus exordia debet sua, vocabatur. Cf. *Neugebaur*: »Dacia ex residuis antiquitatis classicae reliquiis« — germ. — Coronae 1851. 8. p. 296., et *Ackner* et *Müller*: »Inscriptiones in Dacia romana« — germ. — Viennae 1865. 8. p. 855.

[4]) *Melchisedek* l. c. I. p. 43 Serius et in »Reni« sedes episcopalis ritus graeci legitur erecta, licet minime constet, quonam anno. Sed eundem ad episcopatum eo minus mentem convertere possumus, quum haec Moldaviae pars 1620 Turcarum in possessionem devenerit, et tempora de quibus hic sermo, minime tangat. Cf. »*Tuba Carpatica*« — rum. — 1871. num. 899 sq. ubi episcopatus hic Hussium translatus fuisse narratur, quo simul et dioecesium ambitus fuerat mutatus.

[5]) Cf. *Kurz*: »Repositorium omnium memorabilium« etc. — germ. — Coronae 1846. 8. II. p. 67.

[6]) Originale servatur in archivo claustri ff. Franciscanorum Claudiopoli in Transsylvania.

[7]) Bonifacius IX. electus est 1389., obiit 1404. Decimus tertius illius regiminis annus 1401.

commemorat. [1]) Assertio tamen, Moldaviae principem Alexandrum ideo solum de sedis Cerethensis Baccoviam translatione cogitasse, quo manifestum faceret, eam unionem sibi minime placere, quam in concilio Florentino *Damianus*, archiepiscopus Soczaviensis subscripserat, ignorantiae scriptoris non quotidiana mole tegitur. Concilium etenim florentinum, in quo, numine propitio ventum est ad dictae graeci ritus orientalis ecclesiae cum romano-catholica coadunationem, longe post sedis Baccovionensis initia celebratur.

Hanc Cerethensis episcopi Baccoviam translationem princeps apostolicae sedi non alia de causa commendatam voluisse videtur, quam ut ab ultimis provinciae septemtrionalibus finibus in interiorem terram, ad punctum veluti centrale, animarum tantummodo curae commodius promovendae gratia, removeatur. [2])

Nam *Eugenius*, summus pontifex, hujus nominis quartus, dum *Benedictum*, episcopum Zewrinensem brevi suo [3]) de dato: Florentiae XVII. Calend. Octobris — 15. Septembr. — 1439. per Moldaviam quoque supremi cunctarum animarum pastoris munus capessere jubet, aperte dicit: »Episcopatum in Moldoviae metropoli Bacco-

---

[1]) Nihilominus nonnulli scriptorum hanc translationem novae sedis erectionem fuisse contendunt, ita, ut *praeter Cerethensem* et Baccoviensis existens judicanda sit, quod veritati repugnat, licet intentioni pontificum, animarum zelo ductorum, non contradicat, eos in vasta Moldaviae terra duas episcopales sedes habere voluisse. Sunt item et alii, qui Baccoviensis episcopatus erectionen longe serius factam fuisse dicant. Sic *Szentiványi*: »Miscell.« Dec. III. parte I. p. 60., *Clementi VIII.* vult adscriptam scire, quod et *Bombardus* in: »Topographia Hungariae« p. 566. nobis proponit, et: *Morer* in »Supplement. ad antiq. editionem dictionarii historici« — gall. — Tom. I. p. 249. repetit; quod assertum denique *Lucius* quoque *Ferrari* reproducit in: »Prompta bibliotheca« Venet. 1773. Tom. III. p. 169., quem ultimus et *Timon* in: »Additament. ad imag. antiq. et novae Hungariae« epist. II. p. 24. sequitur. Hunc errorem evitaturus, *Pray* in: »Hierarchia« etc. II. p. 34., Baccoviensis episcopatus erectionem, *Stephani Magni*, Moldaviae vaivodae temporibus factam fuisse narrat, quum tamen, illo regnante, districtus seu terrae *Putna* Valachis ereptam partem dioeceseos Milcoviensis, existenti jam episcopatui Baccoviensi legamus incorporatam. Longus autem labor esset, et parum fructuosus, diversissimas et sibi contradicentes hac de re minime probatas singulorum assertiones hic colligere velle. Documenta sequentibus nobis iter totum.

[2]) Hanc sententiam profert *Scriban* in: »Historia metropolitar. Moldaviae« — rumun. — p. 88.

[3]) Originale servatur in archivo ff. S. Francisci, Claudiopoli in Transsylvania. Coeterum de sede Zewrinensi paucissima sunt nota. Reperimus quidem 1382. *Gregorium* quemdam Zewrinensem fuisse episcopum, qui etiam episcopi »*Transalpinarum*« seu Valachiae titulum erat sortitus. Cf. »Eruditorum Ephemerides« — hung. — 1855. 8. IV. p. 116. Sic et *Vladislai*, Hungariae regis diebus — 1502. — alium, similiter *Gregorium*, episcopum Zewrinensem et ecclesiae Strigoniensis suffraganeum (l. c. p. 108.) silentio non praetereundum censemus. His tamen adductis, id unum tantummodo juste colligere licet, hunc episcopatum cum Anconitano S. Severini non esse confundendum.

viensi, [1]) propter terrae illius vastitatem et Christi fidelium incommodam nimis dispersionem erectam fuisse.« [2])

Ideo probabile videtur, vel ab *Alexandro* principe, vel a *Sartorio* hanc summo pontifici translationis causam prolatam fuisse, quo *Bonifacii IX.* pontificis assensus eo facilius adipiscatur.

Episcopum tamen a *Polonia* non removit princeps.

Nam *Joannes XXII.*, pontifex maximus, quum bulla [3]) de dato: »Romae 28. Augusti 1412., cujus exordium: »In eminenti specula militantis ecclesiae« metropolitanam sedem *Haliciensem* romano-catholicam, *Leopolim* transferret, huic suffraganeos adtribuit *Premisliensis, Chelmensis, Camenecensis, Vladimiriensis, Kijowiensis* et *Cerethensis*, adeoque *Baccoviensis* ecclesiarum tam praesentes quam futuros episcopos.

Licet enim in hac metropolitana Leopoliensis ecclesiae constitutione Baccoviensis episcopatus aperta nullibi fiat mentio, quin imo ex *Eugenii IV.* superius adtracto brevi [4]) meridiana luce clarius pateat, summum pontificem hac tantum intentione Cerethensis episcopatus Baccoviam translationi suum assensum praebuisse, ut suo tempore praeter Baccoviensem et Cerethensis vigeat sedes: tamen continuus temporum sequentium usus nos docet, Baccoviensem episcopatum metropolitae Leopoliensi semper fuisse subjectum. Non episcopatum itaque, sed terram, non Cerethensem dioecesim, sed Moldaviam *Joannes XXII.* metropolitae Leopoliensi voluit addictam. Et ideo nequaquam etiam

Baccoviensis Episcopatus

nova sumens initia, prioris Cerethensis, abhinc jam velut aevum in omne cessantis, continuatio simplex putandus. [5]) Nam historia teste

---

[1]) *Baccovia* nunquam fuit principatus Moldaviae metropolis, palatium autem habebat, in quo principes frequenter rusticabantur.

[2]) E transsumpto de dato: Budae 27. Julii 1520., in archivo ff. Franciscanorum Claudiopoli.

[3]) *Theiner* l. c. p. 5. num.: VIII., secundum regest. origin. anno IV. (III.) de Curia, Tom. VII. fol. 122. Notandum autem est, Vladimiriensem et Chelmensem ecclesias tunc temporis probabillime »secundum morem graecorum« fuisse. Non aliter igitur ut et Cerethensis — qua talis — romano-catholico carebant episcopo, qui futurus quondam praeconcipiebatur.

[4]) Verba hujus brevis sunt: »Episcopatum Baccoviensem sancta *Bonifacii IX.*, pontificatus sui anno tertio sollicitudo erexit, *praeter* Cerethensem, ab initio praesentis saeculi vacantem, et cum gravi fidelium Christi jactura nec de praesenti quidem restaurabilem.«

[5]) Hanc simplicis continuationis sententiam defendunt, rerum inprimis natura, nec non traditione continua: *Barnabas Kedzierski,* fratrum minorum conventualium in Polonia magister exprovincialis et guardianus ad S. Crucem Leopoli (*Sulzer*: »Transalp. Dacia« — germ. — III. p. 544—549. Viennae 1772. 8.); *Josephus Maria Martinotti,* per Moldaviam missionibus praefectus et episcopatus Baccoviensis vicarius generalis. (*Sulzer* l. c. III. p. 522. sq.) et *Benkö*: »Milcovia« Viennae 1781. 8. II. p. 19.

saecularium dominantium frequentissimus ab olim fuerat et est usus, quae temporum vicissitudinibus amiserunt regna, vel in eo retinere, ut titulos harum quondam possessionum suarum non deponant, qua ratione — quamprimum occasio tulerit — quorum jacturam fecissent, ea facilius recuperarent. Et hunc ipsa mater ecclesia sequitur usum, dum episcopos infidelium in partibus justissima subrogat disciplina. Non est igitur, cur miremur, *Eugenium IV.*, pontificem maximum, dum suis in bullis Cerethensis episcopatus ulteriorem facit mentionem, hunc nequaquam penitus abrogatum vocare, sed talem, qui, dilatata per Moldaviam fide catholica, fideliumque numero crescente, praeter Baccoviensem resuscitari possit non solum. verum et debeat.

Baccoviam, seu Bratzkoviam, prout minus usitato nomine civitatem vocatam legimus, [1]) priusquam romano-catholici sedes episcopi diceretur, etsi de se — ut alibi traditur [2]) — haud tanti fuerit nominis vel auctoritatis, vetustatis tamen gloria scimus inclaruisse. Veteribus etenim »ad Bacchum« dicta, nono post Christum saeculo — *Guidone Ravennatensi*, celeberrimo sui temporis geographo teste, [3]) longe lateque nota, peramplaque, Bacaucis nomine veniebat, et semper eodem perduraverat loco, quo fundator illius ignotus prima civitatis jecerat fundamenta, scilicet ad Bistritiae, Seretique, non procul ab *Ojtoz* faucibus confluentes. [4])

Cathedralis ecclesia 1412. fabricari coepit. [5]) Ipsius autem qui fuerit Baccoviae situs et ambitus, *Marcus Bandini*, Italus, ordinis ff. S. Francisci minorum religiosus, et infidelium in partibus archiepiscopus Marcianopolitanus, quem anno 1646. sacra de propaganda fide congregatio visitatorem apostolicum in Moldaviam miserat, in relatione sua Romam, eandem ad congregationem missa, sequentibus delineat verbis: [6])

»Civitatis situs amoenissimus est, quam ex Transsylvaniae alpibus defluens rapacissimus *Bistritia* fluvius ab oriente alluit. Meridiem versus amplissimus patet campus, refertus frequentissimis pagis valachicis. A septemtrione usque ad alpes protenditur nominatissima vallis *Bistricze*, a nominatissimo fluvio decurrente nomen sortita. Demum ad occidentem, interposito leucae unius spatio, mon-

---

[1]) Cf. *Hübneri* Lexicon, ubi »Brascovia« quoque dicta fuisse traditur.

[2]) *Bonbard.*: »Topographia Hungariae« p. 565.

[3]) Cf. *Kurz* l. c. p. 373—374. Tom. I.

[4]) »Ravennas geographus« e MS. Lugdunensi suppletus, Lugduni Batavorum 1696.

[5]) E relatione *Viti Piluzzii* de dato 14. Decemb. 1668. ad nuntium regni Poloniae. Cf. *Hajdeu*: »Columna Trajana« 1883. 4. p. 151.

[6]) Ex archivo ff. Franciscanorum Transsylvanensium Claudiopoli. Cuncta hujus archivi documenta, rem praesentem concernentia, communicata mihi fuerunt speciali Claudiopolitani A. R. P. Guardiani gratia, cujus nomen me latet.

tes et alpes assurgunt, qui usque ad Transsylvaniam, trium dierum itinere, per interstitia vallium durant. Aura hoc loco saluberrima, nec non naturae et artis beneficio gratiosa, sylvae glandiferae, ferarum et avium copia, fluvii pariunt pisces saluberrimos et sapidissimos, in Italia incognitos. Denique est pecorum abundantia, diversorum frumentorum, fructuum, mellis et butyri ubertas.«

Sic Bandini de Baccovia, cujus civitatis publici reditus non episcopis, verum principis fisco cedebant [1]) et temporis decursu, domini gratiae tessera, variis donata fuerunt bojeronibus, seu nobilibus. [2]) Episcoporum autem necessitatibus partim fideles, partim religiosi, quibus erant infiliati ordines, partim proventus e pago *Terebes,* [3]) quem *Alexander bonus,* quum episcopo Baccoviam assignaret, antistitibus romano-catholicis donasse traditur, maximam autem ad partem sacrae de propaganda fide congregationis providebat largitas. [4])

Baccovienses episcopi, quamdiu Baccoviae degebant vel morabantur, in monasterio ff. S. Francisci minorum habitabant, de cujus erectionis anno varii tam varia referunt, ut, quum in discrimen res veniat, cui potiorem praebeamus fidem, animo tranquillo, rectique sibi conscio, dijudicatu sit difficillimum. [5])

---

[1]) Id plurima testantur publica documenta, quorum vigore principes vectigal exigunt etc. etc.

[2]) Huc refero donationes braxatorii, macellarum etc. etc., quas una cum posteriori tempore datis donationis approbationibus hic adducere velle superfluum esset.

[3]) Hic ab Hungaris inhabitatus pagus non invenitur in: »Dictionario topographico et statistico Rumaniae« quod *Demetrius Frundescu* 1872. 8. Bucurestii cum approbatione celsissimi, cultus et instructionis publicae rebus invigilantis »ministerii« publicavit. Rem tamen adductam documenta testantur.

[4]) Hujus circumstantiae testimonio quam plurimae supersunt litterae, quarum tenor dubium non admittit, a sacra de propaganda fide congregatione sumptus non modicos factos fuisse, ut res in Moldavia catholica majora semper capiat incrementa. Vel hic jam inferius adducentur documenta, quorum verbalis contextus meridiana luce clarius nos docet, hanc congregationem justo merito nomen suum »de propaganda fide« sortitam fuisse, Moldaviaeque episcopos et rem catholicam generosum in modum subsidiis juvasse.

[5]) Cf. *Petri Pazman:* »Acta et decreta synodi dioeceseos Strigoniensis« Posonii 1626. App. II. p. 116., *Timon* l. c. Ep. II. p. 22., *Georgii Pray:* »Hierarchia sacra« II. p. 84. Poloniae rerum gestarum scriptores, dum hujus regni cum Moldavia nexum pertractant, episcopatum Baccoviensem primis — ut ita dicamus — Moldaviae exordiis Baccoviae locum habuisse modis omnibus evincere nituntur. Non est igitur, cur miremur, illos, nulla Cerethensis episcopatus habita ratione, perperam asserere, Baccoviensem episcopatum a *Vladislao II.*, Poloniae rege fundatum fuisse. Cf. *Stupnicki:* »Galicia« Leopoli 1849. 8. maj. — polon. — p. 135. Quo tamen pacto Cerethensis episcopatus »Cecorensis« dici possit, ut *Lipinski* et *Balinski:* »Antiqua Polonia« — polon. — Varsaviae 1845. 8. Tom. II. p. 561. contendunt, nemo sanae mentis ad liquidum confessumque quibuscunque perducet argumentis.

Non minus laboriosi negotii putandum est, rerum gestarum veritati consulere, dum

Baccoviensium series episcoporum

et quae singulis sub episcopis catholicismi ratione prospera vel adversa contigerint, arbitrio justo decernenda postulantur. Sed nobis id tentare liceat, qui tam ecclesiasticas et civiles, quam privatas res explicantibus monumentis publicis, innumerisque litterariis juvamur adminiculis. [1])

Baccoviensium episcoporum seriem praeit ordine

I. J o a n n e s S a r t o r i u s, ordinis Praedicatorum, in Russia natus, [2]) magnas ob virtutes, quibus inclaruit,[3]) Cracoviensis episcopi vicarius, [4]) tandem in Cerethensem episcopatum evectus, sedem suam — prout superius diximus — anno 1401. *Baccoviam* coactus quidem transtulit, nihilominus tamen hic quoque pristino, quem antea nactus fuerat, sequentis tenoris gavisus est titulo: »Episcopus Baccoviensis, Vicarius Hierosolymarum et vallis Josaphat, summi pontificis et regis, reginaeque Poloniae poenitentiarius.« [5])

Quum populi videret devotionem, qua miraculosum in Cerethensi S. Joannis Baptistae ecclesia venerabatur corporale, catervatim ad illud commigrando, hanc devotionem aucturus, quadraginta dierum indulgentias, sanctae romanae ecclesiae modo consueto, fidelibus 1403. concessit, quas *Joannes Janitor*, Podoliae simul et Moldaviae vicarius Praedicatorum ordinis generalis, praesentavit.[6])

Dubium non est, *Joannem Sartorium,* licet in difficillimis versaretur circumstantiis, officio suo omnem ad lineam consueto sibi fervore satisfecisse, quo tamen die locoque spiritum duxerit extremum, non constat. Nihilominus eum 1412. commune mortalium naturae debitum persolvisse vel ideo colligere licet, quod episcopalem Baccoviae sedem anno 1413. vacantem legamus. [7])

Eum sequutus est anno 1414.:

---

[1]) A quindecim annis uni solique Moldaviae rerum gestarum elucidationi quum simus intenti, sumptibus, tempori, laborique hoc in negotio minime parcentes, diplomatarium ad quinque millia diversissimorum documentorum et notiones ad viginti millium numerum, e centenis historiographorum operibus, chronologicum in ordinem reductum congregavimus, ut justo merito dicere possimus, nullibi aeque opulentam rebus scribendis reperiri materiam.

[2]) Bullarium ord. Praedicator. II. p. 468.

[3]) *Fridrichowicz* in principali hierarchico p. 233.

[4]) Bullarium ord. Praedicator. l. c.

[5]) *Sadok Baracz* l. c. II. p. 42., quin tamen dicatur, quid hi tituli sibi venit inusitati, vicarii scilicet Hierosolymitani, vallisque Josaphat, quaque de causa fuerint collati. Poenitentiarium autem certo certius *post* assequutam episcopalem dignitatem nec apud Poloniae regem nec apud reginam egerat, quum in Moldavia praesentem semper fuisse cuncta demonstrent.

[6]) *Okolski:* » Russia florida« Leopoli 1646. p. 59.

[7]) *Dlugosz:* »Chron. Polon.« Lib. II. ad annum 1416. p. 141.

II. Stephanus Zajaczek, ordinis pariter Praedicatorum, sacrae theologiae lector, stemmatis »swinka« quod est »porcellus«,[1]) qui Baccoviensem adeptus episcopatum, opes, quibus praepollebat, et quorum dispositionem nondum fecerat, [2]) apostolica sede benignum ad hoc assensum praebente, monasterio Praedicatorum Cracoviensi dono dedit, quo grati tesseram animi praebere voluit pro scientiarum thesauris, quae juvenis ibi — non sine magna nominis sui inposterum gloria — collegerat. [3])

Eo praesule *Martinus V.* pontifex maximus, bulla, cujus exordium est: »Illius, qui ut protoplasta« de dato: Gebennis X. Calend. Septembris — 23. Aug. — 1418., fratres ordinis S. Francisci privilegiorum ordinis Praedicatorum religiosis concessorum participes declaravit, [4]) quo fratrum peregrinantium ob ardentem et zelosum proximorum salutis amorem suscepti labores non solum indies majora capiebant fructuum incrementa, verum etiam ipsorum fratrum nonnullis in locis frequentior praesentia videbatur necessaria fuisse.

Non alia de causa idem pontifex bulla sua: »Sacrae Religionis«. de dato: Tiburi V. Idus — 11. Julii — 1421. fratribus in Russiae, Moldaviaeque terris peregrinantibus, praeter ea quae jam inhabitabant monasteria, construendorum insuper vel recipiendorum aliorum quinque facultatem est impertitus. [5])

Stephanus episcopus, meritis onustus, diem clausit extremum anno 1430., quo tamen die locoque, sub judice lis est. Successit 1431.:

III. Thomas Ehrenheber, Erneber plerumque dictus, Praedicatorum similiter ordinis, qui sedem episcopalem ad annum usque 1439. occupavit. [6])

Illius ecclesiastico sub regimine *Julianus* S. R. E. Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, et apostolicae sedis per Germaniam legatus a latere, litteris de dato: Basileae 14. Julii 1434., fratris *Joannis*, custodiae Leopoliensis, Premisliensis, Camenecensis et Moldaviensis custodis precibus annuens, fratribus sancti Francisci minoribus, in missione

---

[1]) *Benkö:* »Milcovia« Viennae 1771. 8. I. p. 24.

[2]) *Fontana:* »Sacrum Theatrum Dominicanorum« Romae 1666. fol. p. 105. Locus hic aliquantulum ambiguus videtur. *Stephanus* etenim *Zajaczek,* ut religiosus, paupertatis volo ligatus, nec opes quasdam retinere, nec novas acquirere poterat, episcopatus autem Baccoviensis proventus nequaquam tam uberes erant, ut cogitari possit, ex his dictas opes conflatas fuisse. Donationis cujusdam, illi, vel ipso nominationis in episcopum momento, factae nullibi fit mentio, nisi forte tunc temporis illi paterna vel materna testamento scripta haereditas ob venisset.

[3]) *Sadok Baracz* l. c. p. 43—44.

[4]) Bullarium pp. Franciscanorum Tom. I. p. 552.

[5]) Originale conservatur in archivo pp. Praedicatorum Leopoli.

[6]) *Sadok Baracz* l. c. II. 44. fontem assignans bullarium ordinis Praedicatorum II. p. 530., *Thomam* dicit 1413. Baccoviensem in sedem evectum, quod evidentissime lapsus est calami, pro 1431., cum dicta sedes anno 1413. vacaverit, quod autorem non latebat.

degentibus, altare portatile habere concessit [1]) et *Gregorius* quidam, archiepiscopus olim Moldoblachiae, [2]) nuper ad ecclesiae romano-catholicae reversus unitatem et obedientiam, »pro augmento catholicae fidei,« varias peragrans terras in Moldaviam quoque venerat. Juvabat virum hoc in laudabili proposito salvus commeatus, quem illi summus pontifex litteris de dato: Florentiae IV. Idus — 11. Martii — 1435. concesserat. [3]) Nescitur quidem spiritualium illius qui fuerit laborum in Moldavia fructus, facile tamen conjicere licet, tantae virum auctoritatis non incassum in concione verba fecisse, quippe qui non sola tantum eloquentia moveret, sed potius exemplo traheret suo.

Idem summus pontifex *Eugenius IV.*, orbae post episcopi *Thomae* mortem dioeceseos administrationem litteris de dato: Florentiae XVII. Calend. Octobris — 15. Septembris — 1439. *Benedicto*, Zewrinensi commisit episcopo,[4]) simulque strictissimis huic dedit in mandatis, ut deficientibus in Moldaviensi vinea domini fratribus minoribus, »fratres de observantia provinciae Bosnensis«, sub apostolicae sedis indignatione, solerter et sine mora, pastorali, quae desideratur, curae faciat incumbere.

Horum »de observantia« dictorum fratrum in Moldaviam adventus, Baccoviense quoque monasterium successive novis implevit habitatoribus, et causa fuit, ut — prout suo loco dicetur — temporis in decursu hujus ordinis »provinciae hungaricae« sit incorporatum et e Csiksomlyoviensi monasterio huc operarii spirituales mitterentur.

Eodem anno 1439. Florentiae celebratum concilium rem per Moldoviam romano-catholicam summo tetigit damno. Ut scilicet quondam in concilio Lugdunensi *Michael Palaeologus* cum ecclesia romana *Saracenorum* ob formidinem unionem inierat,[5]) sic *Graeci* quoque cum imperatore suo Florentiam venerant, spe ducti, contra *Turcas* occidentalium adminicula consequendi: »Spiritus sancti quasi per miraculum« — ut acta concilii loquuntur [6]) — unio fuerat stabilita quidem, cui Moldaviae metropolita quoque nomen suum dederat, [7])

---

[1]) *Wasniewski:* »Sex hebdomades in oriente« — polon. — Cracoviae 1851. 8 p. 287.

[2]) Hic notemus oportet, Moldovlachiae nomine Valachiam semper his diebus venisse, quam nonnulli Muldoblachensem quoque terram vocabant.

[3]) *Theiner:* »Monumenta Slavorum« Romae 1863. fol. I. p. 374. num. DXXXVI. litteras has verbotenus reproducit.

[4]) Superius adductum cf. documentum.

[5]) Cf. *Baronii:* »Annales« ad ann. 1269. num. 583; ad annum 1272. num. 2.

[6]) *Acta consilii Florentini* 5. et 9.

[7]) In sessione ultima (XXV.): »Ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μουλδοβλαχίας, καὶ τον τοπον ἔπεχον τοῦ Σεβαστίας Δαμιανος αρχετος υπεγραφα« data subscriptio, Moldaviensis communiter metropolitae subscriptio censetur, non obstante nominis »Moldoblachiae« definitione, quam hic nota 2 subjunximus. Probe tamen est notandum, archipresbyterum quoque *Constantinum*, qui »*Vicarius Moldoblachensis*« fuisse legitur acta consilii subscripsisse, quem (Cf. »*Revista*«

quum autem et Moldaviae princeps et populus unioni huic essent infensissimi, praesertim quum simul non sedatus rumor in vulgus spargeretur, romanum pontificem irrevocabile cepisse consilium, non solum ut »inquisitionis haereticae pravitatis officium« in Moldavia quoque vigeat, [1]) verum etiam *Fabianum*, presbiterum quemdam designatum esse, qui perosae hujus inquisitionis in Moldaviae ambitu praesidem agat: [2]) primus itaque *Damianus*, metropolita, principis e gratia excidens, loco movetur et assumpto nomine *Davidis*, in monasterio prope *Milcoviam* sito, *Mira* dicto, coenobitarum numerum cogitur augere; [3]) deinde princeps ipse, quanto flagraretin romano-catholicos, seu »latinos« odio, manifestaturus, quaecunque latino sermone, vel characteribus latinis reperirentur conscripta, sive codices, libri aut monumenta publica vel privata, cuncta deleri jubet, usumque finitimis Bulgaris consuetarum, quas cyrillicas dicunt, notarum omnibus in monumentis forensibus et privatis, librisque componendis injungit. Ipse populus, quotiescunque sacerdos catholicus, primis praesertim unionis promulgatae diebus, missae sacrificium ad aram non suae celebraret ecclesiae, tam aram, quam illam circumdans pavimentum funditus evertebat, romano-catholica fidei dogmata profitentes, gravi licet morbo depositos, mortique proximos, ad sui baptismatis lavacrum, violentas illis manus imponens, petrahebat, non rebaptisatos mortuos honesti privabat sepultura, verboque rem omnem ut complectamur uno libidine penitus effroenata, crudelissimum in modum saeviebat. [4])

Pusillanimorum tunc temporis multi, calamitatum inferendarum gravem pertimescentes afflictionem ab avita fide sponte sua defecerunt. Nullibi tamen legimus, hujus acerbissimae tribulationis diebus animarum pastores, crebris, gravibusque licet injuriis ex-

---

II. 138.) nescio quo spiritu ducti, catholicorum adversarii, veluti praeditum episcopali potestate visitatorem faciunt apostolicum, quum tamen omnia graeci ritus orientalis ecclesiae presbyterum fuisse loquantur, qui si »Moldoblachia« — prout Moldavienses volunt rerum gestarum scriptores, Moldaviam denotat, et *Damianus* Moldaviensis dicendus est metropolita, *Damiani* vicarius est habendus. Id unum summopere miremur oportet, hos adversarios perbene scire, Baccoviensem sedem eo tempore vacasse, curam illius Zewrinensi commissam fuisse praesuli, nihilominus tamen de *Constantino* visitatore fabulam suis accommodare rebus commenticiis. Vicarios etenim apostolicos, episcopali dignitate conspicuos, — licet illa fuerit partium infidelium titulo collata, multo serius in Moldavia necessitatibus et fidelium et missionariorum providentes offendimus, quapropter — coeteris critices in lance non exanimatis, ipso facto praeproperum esset, posteriora prioribus anteponere velle.

[1]) *Farlatti*: »Illyria sacra« p. 70.

[2]) *Wasniewski* l. c. p. 255.

[3]) *Scriban:* l. c. p. 161.

[4]) *Rogalski:* »Res principatuum Danubiensium gestae« — polon. — Varsoviae 1861. T. I. p. 97. sq.

positos, securitati suae fuga consuluisse, commissumque sibi gregem, terramque, personarum ecclesiasticarum inopia vel alioquin graviter laborantem, foedum in modum dereliquisse.

Desaeviit tandem in insontes effusus, diuque sustentatus coecus ille furor, et iterum feliciora fidelibus affulserunt tempora, quibus — anno videlicet 1441. — de novo Baccoviensi episcopo nominando cogitare licuit. Dignitatem hanc adeptus esse *videtur:*

IV. Joannes, qui »Cerethensis« dicebatur, fratrum S. Francisci minorum conventualium [1]) religiosus. Nam nullum superest documentum, cujus ducti testimonio hunc Joannem inter Baccovienses episcopos *tute* recipere possemus.Quum autem fide dignissimi scriptoris auctoritate memoriae traditum legamus, altera saeculi decimi quinti parte ineunte morem invaluisse, ut Baccoviensium episcoporum, qui S. Francisci fratrum minorum olim fuissent sodales, mortales exuviae Leopolim abducerentur, ibidem in ecclesia monasterii, quod »ad sanctam crucem« vulgo dicebatur, [2]) sepelienda, quumque *Joannes Cerethensis*, eadem auctoritate teste, fuerit ibidem depositus, [3]) insuper autem ab omnibus rerum gestarum scriptoribus adducatur, inter Baccovienses eum admittentes episcopos, haud peccabimus.

Illius episcopatus temporibus summus pontifex *Eugenius*, hujus nominis quartus, in animarum cura detentis in Moldavia sancti Francisci fratribus »*provinciae Bosniae*« litteris de dato: Romae Calendis — 1. — Februarii 1444. privilegia confirmavit et auxit omnia, quae Tusculanus episcopus et apostolicus legatus a latere *Julianus* illis ea mente concesserat, ut eo facilius *Hussitarum*, illis diebus in Moldaviam immigrantium, [4]) in Christi caulem reducerent agnima. [5])

---

[1]) Quum annos natus quadraginta quinque S. Franciscus 4. die mensis Octobris 1226. ad superos migrasset, institutus ab illo fratrum minorum religiosus ordo plus quam octoginta domos, vel ita dictos »*conventus*« numerabat, a quibus vi bullae summi pontificis *Innocentii* IV. de dato: Perusii XII. Calend. Septembris — 20. Augusti — 1253., prout ipsi fratres pontificem rogarunt, conventualium nomen sunt sortiti. Cf. »Bullarium Franciscanorum« Tom. I. p. 622. »Vestris supplicationibus inclinati, praesentium auctoritate decernimus, ut ecclesiae vestrae omnes, ubi conventus existunt, conventuales dicantur etc. etc.«

[2]) Ecclesia sub *Josephi II.* regimine ludorum domus, 1848. combusta, postmodum aequata solo. Monasterium in scholarum popularium inferiorum usum conversum.

[3]) *Dzieduszycki:* »Venceslai Sierakowski, Leopoliensis archiepiscopi vita« — polon. — Cracoviae 1868. 8. p. 116.

[4]) Communis fert traditio civitatem »Hussium« ab illis nomen traxisse.

[5]) Originale conservat archivum ff. Franciscanorum Claudiopoli in Transsylvania. Julianus inibi dicitur: »miseratione divina, titulo sanctae Sabinae S. R. E. presbyter cardinalis, »Sancti Angeli« vulgariter nuncupatus, in regnis Hungariae, Poloniae, Bohemiae et Croatiae, ac in provincia Salisburgensi apostolicae sedis legatus.« Hujus documenti duo nota sunt transsumpta: »Budae, in vigilia festi annunciationis BMV. — 24. Martii — 1488., ad supplicationem religiosi fratris *Mathiae de Korogh*, guardiani, sic dicti, fratrum sancti Francisci

Joanne mortuo, anno 1451., vacantem occupavit sedem:

V. Joannes Rosa, Praedicatorum ordinis,[1]) qui 1453., mortifera peste per omnia fere mundi climata grassante,[2]) pastorem se praebuit optimum, fidelissimumque, vel propriae non parcentem vitae. Sanctissimi rosarii cultor insignis, et omnibus ornatus virtutibus, communi laude praedicatur.[3])

Licet Leopoli saepius moraretur,[4]) nihilominus injuncto sibi tam zelose fungebatur officio, ut prolatandae fidei studio martyrii praemium adeptus dicatur.[5])

Praeter *Hussitas* namque, novos in terram advenas, et *Saxones* et *Hungari*, qui mercatorum et artificum opificumque opulentorum auctoritate non parum in provinciae valebant urbibus, exortis in *Bohemia* perversis fidei novationibus favebant; *Tatari* quoque *Budjakii*, Moldaviae confines, uberem in vinea Domini messem pollicebantur.

Conjicere licet, hos *Tataros* fuisse, qui praesulem Deo lucrandarum animarum zelo flagrantem, crudelibus affectum cruciatibus, piis omnibus invidendae morti tradiderunt. Silentio quoque praeterire non possumus, Praedicatorum ordinis generale capitulum Montipessuli celebratum — 1456. — Moldaviae Valachiaeque contratae[6]) cunctos ordinis conventus seu domos, jurisdictioni regiminique magistri provincialis *Hungariae* submisisse, quum per vicarium, sicuti hactenus amplius gubernari non potuissent.[7])

Utrum autem Praedicatorum ordo praeter Cerethensem et alium quoque conventum in Moldavia possederit, non liquet.

Proximus in Baccoviensis praesulis dignitate successit anno 1460:

VI. Joannes Simon cognomento »*Dawidicz*«, ordinis minorum, olim per Poloniam, Moldaviamque vicarius generalis.[8])

Illius sub episcopatu *Pius*, pontifex maximus, hujus nominis

---

minorum in claustro Budensi »ad S. Joannem evang.« cum sigillo pendente *Mathiae Corvini*, regis Hungariae, majori, quod in archivo provinciae »sancti Salvatoris« dictae servatur. Secundum transsumptum in bulla *Nicolai V.*, de dato: Romae apud s. Petrum anno incarnat. Dom. 1447., IV. Idus — 10. — Februarii, pontificatus anno primo, quod Claudiopolitani ff. Franciscani possident.

[1]) *Sadok Baracz*: l. c. II. 49.

[2]) »Chronicon Fuchsio-Lupino-Oltardinum« Coronae 1847. 4° — latine — p. 35.

[3]) Bullar. ord. Praedicat. Tom. III. p. 343., *Okolski* l. c. p. 59 et alii.

[4]) In archivo civitatis Leopoliensis asservatur fasciculus sub numero 25., in quo sub num. 5 documentum, cujus vigore *Gregorius*, archiepiscopus Leopoliensis ad preces urbani magistratus, altari, quod hic erexerat, indulgentias largitur, et »Joannes eppus Moldaviensis« has litteras manu signavit sua.

[5]) *Rogalski* l. c. I. 97.

[6]) Vocabulum italicum, regionem seu terram designans.

[7]) *Sadok Baracz* l. c. I. p. 203. nota. 267.

[8]) *Kurz* l. c. II. p. 30—31.

secundus, *Aeneas* quondam *Sylvius* dictus, et doctrinarum laude clarissimus, bulla sua de dato: Tiburi III. Idus — 11. — Septembris 1461. fratres minores collaudat: »maximam Moldaviae regni partem, faciente Domino, praedicationibus et suasionum instantia ad fidei catholicae obedientiam esse conversam«, quapropter etiam parochiarum administrandarum illis per Moldaviam plenam impertitur potestatem, [1]) »ne — bullae sunt verba — propter ordinariorum et rectorum parochialium ecclesiarum, qui in regionibus illis nulli hucusque sunt, carentiam, ipsorum nuper *conversorum* animae periclitentur.«

Huic autem Christi vineae tam uberem animarum messim praebenti, graves, quibus Moldaviae terra sub *Stephano* duce suo celeberrimo, postmodum »Magnus« dicto, quassabatur tempestates, non levi fuerunt damno.

Princeps enim ille, diem in hodiernum toga sagoque sui similem desiderans, *Turcarum*, juratorum Christi nominis hostium elatam duramque fracturus cervicem, omnipotenti Deo, propriae virtuti, forti, bellicosoque populi sui confisus animo, bellum in illos ad internecionem usque movit. Pluries victor, et reportatis trophaeis romanas pontificis et regnorum Hungariae, Poloniaeque decorans ecclesias, nominis autem sui gloria terrarum implens orbem universum, nihilominus hostem non semper impedire poterat, quominus, introitu minus praeviso, violentoque, turpes reportatas clades suas urbium incendiis, ecclesiarum profanationibus et incolarum caedibus foedum in modum ulcisceretur.

His turbulentis diebus Baccoviensis episcopus *Bajae* residebat [2]) in qua civitate maximam ad partem a Saxonibus habitata, quum anno 1467. Mathias, Hungariae rex, armata manu Moldaviam invasisset, refugium quaesierat et hunc habitationis suae locum episcopus eo minus mutaverat, quo magis compertum erat, Stephanum, gravi Mathiae regis ad Bajam clade, [3]) cursum suum in victoris stadio feliciter inaugurasse.

Quum autem postmodum arctissimum Mathiam regem inter et Stephanum amicitiae vinculum intercederet, non est cur mire-

---

[1]) *Wadding*: »Annal.« Tom. XIII. p. 198., *Kaprinay*: »Hungaria diplomatica.« Vindobonae 1771. 4. II. p. 506.

[2]) *Bonfinius* ed. 1568. ad ann. 1467. ligneam dicit urbem fuisse, viminibus circumseptam, *Wolf* autem dum in descriptione magni principatus Transsylvaniae, Cibinii 1805. 8. — germ. — I. 70. Mathiam regem in episcopi Petri domo diversorium suum fixisse narrat, quo tempore Petrus nondum erat episcopus, personas confundit.

[3]) Cf. *Majlath*: »Histor. Hungar.« Viennae 1829. 8. — germ. — p. 55. sq. *Pray*: »Annal. reg. hung.« IV. fol. p. 36—37. regi suo Bajae vindicat victoriam. Sed injustissime. Rex enim exacerbatus clade, Transsylvaniae rebelles anni 1466., quos vita donaverat, spreta regii verbi sanctitate, morte plecti jussit infami.

mur, Baccoviensem episcopatum transsilvanici suffraganeum factum fuisse.[1])

Dawidicz quando fatis cesserit nescitur, sub annum autem 1476 successit:

VII. P e t r u s qui, dubium est quibus rationibus ita ferentibus, parochiae *Waldhutensis* in Transsylvania quum rector esset, Moldaviensis, et quod idem est, Baccoviensis episcopatus dignitatem est adeptus. Hujus rei testimonium bulla praebet »Redemptor noster Jesus Chistus«, qua *Sixtus,* pontifex maximus, nominis hujus quartus, Romae die 13. Januarii 1476. Stephano, Moldaviae principe Petroque, terra Moldaviensis episcopo petentibus, quibuscunque fidelibus pecunias in subsidium contra Turcas per Moldaviam debellandos conferentibus, indulgentias elargitur,[2]) quemadmodum et altera bulla de dato: Romae 9. Augusti 1476.,[3]) cujus exordium: »Pastoris aeterni«, ad eorundem instantiam, et eundem promoturus finem, jubilaeum concedit.

Istius jubilaei tempore Petrus una cum principe Stephano processuali pompa graeci ritus orientalis »majorem ecclesiam«, annuente summo pontifice visitavit,[4]) quod anno post, *Belogradi*[5]) fuerat repetitum.[6])

Caeterum Petro sedem Baccoviensem occupante, Moldaviensis episcopatus, nescitur hodie quibus de causis, et qua ratione, non aliter ac sub episcopo praecedenti, suffraganeatus fuit ecclesiae Albensis in Transsylvania. Supersunt etenim litterae, quas *Petrus »episcopus Moldaviensis, suffraganeusque ecclesiae Albensis Transsylvanae« Mathiae,* plebano de *Alba Ecclesia,* nec non decano capituli *Kuss,* ex *»Waldhudia in profesto Barbarae virginis«* — 3. Decemb. 1477. — perscripserat,[7]) quibus hic jam addere liceat, eundem *Petrum* ad annum 1484. quoque suffraganeum ecclesiae Transsylvanensis adhuc testari.[8])

Mirum itaque minime videri potest, eundem episcopum *Petrum* ejusdem *Sixti IV.,* summi pontificis litteris, Romae 3. Februarii

---

[1]) Schemat. Ven. Cler. Trans. 1846. Claudiopoli p. LXI.

[2]) *Theiner:* »Mon. Hung.« II. 45.

[3]) *Ibid.* p. 450.

[4]) *Hunfalvi:* »Rumaenien« p. 127., *Melchisedek* in famoso libello suo, superius jam citato p. 21. contendit, sub »majori ecclesia« Baccoviensem catholicam cathedralem subintelligi debere, quum tamen ad eam intrandam Petro nequequam opus fuerit assensu pontificio. Urgente temporum calamitatis nec non, opis necessitate, depressus animorum status non unam pollicebatur conversionem, ad quam accellerandam communes cum schismaticis licet, christianis tamen preces conferre posse videbantur.

[5]) Alias: »Akierman« vel »Moncastrum.«

[6]) *Hunfalvi* l. c.

[7]) In opere nota 1. p. 11. l. citato; serie nova, Tom. XIII. p. 177.

[8]) Schematismus Ven. Cler. Trans. etc. p. LXI. ubi probabile dicitur, nomen illi »Petrus Fenesi« fuisse.

1479. datis, quarum exordium est: »Sedis apostolicae copiosa benignitas« destinatum fuisse, qui *Ladislaum Tobiaschi*, praepotentis inter saxonicos regios judices familiae caput, ab omnibus ecclesiasticis absolvat vinculis, quorum ideo ligabatur nodis, quod, eo judice, plures insontes a servis illius injusta morte plexi fuerint.[1]) Inde quoque colligere licet, episcopum *Petrum* Baccoviae non commorasse. Si tamen huic a consueta, seu potius a praesuli debita sede, illius absentiae binas supponere cogimur causas, easque lectorem non celamus: id unum assequi volumus, ut circumspecti justique rerum gestarum censores videamur.

Primam itaque causam putamus eam incertitudinem fuisse, qua non solum caduca vitae bona, verum etiam ipsa quoque vita, bellorum a Stephano, Moldaviae principe, susceptorum temporibus ancipites fluctuabant. Altera causa, quum e rerum circumstantiis resultet vix ac ne vix quidem illius fuisse naturae negari potest, ut sanius judicium sequi videatur, qui *Petri* episcopi tunc temporis e Moldavia absentiae causam, hanc et non aliam, et quidem sequentem fuisse dixerit.

Stephanus etenim, quum bellum cum Hungariae rege perhonesta composuisset pace, homagialem se simul S. Stephani coronae futurum declaraverat. Id non solum fecerat, ut ad *Turcas* feliciter debellandos, potentis Hungariae consequeretur subsidium, verum etiam ut — sinistris fatis ita volentibus, — aliquando devictus forsitan et depositus, tutum in Hungariae subjectam Transsylvaniam, sibi proximam, haberet recessum. Id quum laboraret exequi, factum est, ut in generalibus regni Hungariae comitiis, quae sub anni 1467. finem fuerant celebrata, communi congregatorum decerneretur sententia, prae primis edicto statuendum esse regio, ne districtus *Fogaras*, *Omlas* et *Rodna* cujuscunque privati possessionarii habeantur juris, sed ut sub Transsylvaniensis vaivodae speciali tutelae tamdiu reserventur, quamdiu praesentis cum *Turcis* belli dubiae fortunae dira necessitas cautionem hanc ideo postulet, ut vel Moldaviae, vel etiam *Valachiae* vojvoda tuto non careant refugio.[2]) Notum autem est, quia virorum rerum gestarum peritorum commentariis demonstratum,[3]) Stephano, Moldaviae palatino, semper majus, pro temporum ratione, potentiae suae incrementum quum moliretur, hoc generalium comitiorum decretum gratissimam causam praebuisse, qui specialiter in Transsylvania ducatum sibi subjectum erigat, ad quem arcis quoque *Csicso* possessiones peramplae fuissent adtrahendae.

Rebus ita se habentibus omni merito conjicere licet, ipsum forsi-

---

[1]) *Theiner:* »Monum. Hung.« II. 472. Originale in archivo Saxonum Transsylvaniae.

[2]) *Pray:* »Annales regni Hung.« IV. 38.

[3]) Cf. Opus p. 11. not. 1., adduct. Tom. VI. p. 63. sq.

tan postulasse, ut *Petrus* episcopus in sua degat *Waldhutia*, locis *Fogaras* et *Omlas* vicina, ne sibi viri, vel ipsa spirituali dignitate sua conspicui, transsylvanicos inter populares fidele desit servitium. Si autem recta sunt, quae censemus, ulterior fortuita cogitatio nostrum animum in id inducit, ipsam in episcopum Petri nominationem, Stephano clandestine praemeditato modo concitante, locum habuisse.

Ut autem *Alexander* quondam, Moldaviae vojvoda, »Bonus« dictus, uxoris *Margarethae*, nescitur cujus filiae, [1]) conjugali ductus amore, *Bajae* catholicam, praeter Cerethensem procul dubio primam et antiquissimam construxerat ecclesiam, [2]) sic *Stephanus* quoque similem ob causam non solum romano-catholicae favebat fidei, sed monasterium etiam in *Totrusch* et ecclesiam in *Kotnar* fundavit. [3])

Episcopum Baccoviensem Petrum sequutus est anno 1497.:

VIII. Thomas de Zagradino dictus, Hungarus, ordinis Praedicatorum, cujus in electione rerum politicarum rationes praevaluisse videntur.

Primo statim ejus episcopatus anno Baccoviae civitas a *Turcis* occupata deletur, et quum Turcarum incursus, regioni vastationem inferrentes, increbrescerent, episcopus alio, nescitur tamen pro certo quo se contulit. Nihilominus dioecesim suam visitabat, et hac in visitatione prope civitatem *Niamtz*, in *Orlesti* vocato pago latronum victima cecidit. Quum *Stephanus* ob hanc caedem pagi hujus colonis ita irasceretur, ut illorum agrorum quartam partem, inprimis autem

---

[1]) *Timon* in : »Additament. ad imag. vet. et nov. Hung.« p. 22. filiam eam vaivodae Transsylvani vocat, et p. 29. filiam *Stephani Losonczi* dicit, quum tamen hujus nominis vaivodae ne vestigium quidem in documentis ab anno 1400. ad 1500. occurrat. *Pray* in : »Hierarchia sacra« II. p. 34. similiter asserit, eam vaivodae *Losonczi* filiam fuisse. *Sulzer* l. c. III. p. 610. Margarethae quidem nomen illi tribuit, sed sororem *Ladislai Losonczi* facit, ut *Engel* in »Hist. Mold.« p. 156, quum tamen compertum sit, hunc Ladislaum multo serius, anno scilicet 1493. Transsylvaniae vaivodam fuisse, liberosque procreasse *Sigismundum, Albertum, Annam, Elisabetham et Ursulam*, nullam tamen sororem *Margarethae* nomine habuisse. *Gebhardi* in : »Hist. Mold.« ed. Brunae p. 138. nota K., nomen illius familiare cautus reticet. *Wolf* in opere citato, sicut et alii quam plurimi aliter, semper tamen dubie, contradictorieque.

[2]) In *Marci Bandini*, visitatoris per Moldaviam apostolici, relatione, quam 1646. Romam ad sacram de propaganda fide congregationem miserat, sequentia de Bajensis civitatis ecclesia catholica leguntur : »In medio ecclesiae est baptisterium cum uno aeneo candelabro, sub quo baptisterio jacet *Margaretha* illa, vere gemma pretiosa, moldavicarum ecclesiarum fundatrix, cui hoc epitaphium ad cornu dextrum altaris in sanctuario adscriptum legitur : »Anno MCCCCX. hoc templum in honorem Beatae Mariae Virginis dedicatum, *ab Illustrissimo Alexandro Vajvoda aedificatum est,* una cum monasterio Moldaviensi, cujus piae memoriae conjux *Margaretha* sub fonte baptismatis sepulta est. Requiescat in vitae aeternae resurrectionem. Amen.« Unum hic addendum. Forte ligneum erat ab Alexandro structum monasterium, nam lapideum serius dicitur.

[3]) Annus incertus. *Pray :* »Hierarchia sacra« II. p. 34.

agrum, in quo crimen erat commissum, fisco publico vindicaret, [1]) mortem hujus animarum pastoris certo certius non religionis odium, sed latronum avaritia causavit.

Post illius mortem ad longius tempus Baccoviensium episcoporum series fuerat interrupta. Nihilominus nequaquam alto silentio tegenda censemus, ea, quae memoratu digna traduntur

Baccoviensi Sede Vacante,

praesertim quum non pauci reperiantur viri, qui asserant, omnem Baccoviensis dioeceseos olim terram restituti in *Valachia* Milcoviensis episcopatus decanalem fuisse sedis. [2])

Licet autem antiquissima milcoviensis episcopatus exordia quoad ipsam illorum antiquitatem in dubium vocari probe sciamus,[3]) nihilominus praesentis tantummodo, de quo sermonem serimus, temporis habita ratione, confiteamur necesse est, *Julium II.*, pontificem maximum, bulla sua de dato: Romae Idibus — 13. — Augusti 1512., cujus prima sunt verba: »Honestis personis«, archiepiscopo Strigoniensi *Thomae*, simul et Milcoviensem episcopatum contulisse,[4]) nullibi tamen in bulla Moldaviae, tamquam decanatus conjunctorum Strigoniensis et Milcoviensis episcopatuum fieri mentionem.

Successor autem *Thomae*, Strigoniensis archiepiscopi, *Michael*, in missilibus anni 1515. decanatum quidem »Moldvabanensem« ut sibi subjectum adducit, [5]) hoc tamen sub nomine Baccoviensem episcopatum latere, nemo sanae mentis contendet. Nec etiam huic sententiae possumus accedere, quae decanatum »Moldavitza« dictum, si decanatus hic in Moldavia quaerendus esset, hic subintelligendum putat. [6]) Constat etenim, *Stephanum* vajvodam, »Magnus« dictum ereptum *Valachis Putnensem* districtum, qui catholicos in eo sparsim habitantes si respexeris, Milcoviensis erat dioeceseos, non solum in politicis, verum etiam in ecclesiasticis rebus Moldaviae suae principatui statim incorporasse, Milcoviensis igitur episcopi jurisdictioni subtraxisse.

Hoc autem, Baccoviensis dioeceseos orbitatis tempore, fratrum in Baccoviensi monasterio degentium intrepidum illum et indefessum effulsisse legimus animarum zelum, quem *Leo*, pontifex maximus,

---

[1]) E documento, quo *Stephanus* »Tener,« dictus, Moldaviae princeps, anno 1522. graeci ritus orientalis metropolitae *Theoctisto* hanc caducitatem confert.

[2]) *Gebhardi*: »Hist. Mold.« Brunae 1788. — germ. — p. 95.

[3]) *Schlözer* l. c. p. 500, ubi recte commemorat, *Benkö* »Milcoviam« non tam litterarum historicarum ob amorem, sed eo fine scriptam fuisse, ut Saxonum Trassylvanensium, inprimis Cibiniensium ecclesiasticam libertatem, regiis et pontificiis litteris persaepe munitam et defensam, evellendi praebeat ansam.

[4]) *Benkö:* »Milcovia« I. p. 174—177.

[5]) *Ibid.* p. 228.

[6]) *Kurz:* l. c. II. p. 24. not. 22.

hujus nominis decimus, litteris de dato: »Romae, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 20. Maji 1520.« *»modernis fratribus domus loci de Baccoo«* scriptis, verbis collaudat sequentibus: »Accepimus, in domo vestra sufficientem esse Altissimo famulantium, et aliis rabiem schismaticorum et aliorum infidelium vicinorum fugientibus, continuo et firmiter inibi pondus defensionis fidei orthodoxae, non absque maximo vitae discriminae, adversus christianae religionis inimicos subeuntium numerum existere.« [1])

Haec spiritualium meritorum comprobatio vel ideo maximi facienda est, quia sanctissimus pater iisdem in litteris proximae *Valachiae* sortem dum acerbissimo dolore prosequitur, illiusque sacerdotibus »quorum alii interdum apostatae et homicidae alii vero excomunicationis sententiae »innodati erant«, quaecunque praedecessorum suorum quivis »authoritate apostolica concesserat«, eadem authoritate subtrahit, fratribus autem et domui baccoviensi privilegia vel jura, per quoscunque romanos pontifices concessa, confirmat.

Ni fallimur, Moldaviae calamitates, quarum pontifex maximus in litteris meminit sequentes fuere.

Primo *Bogdani* principis, »Caecus« dicti Stephani Magni filii, flagrans in catholicos odium, cujus causam si persequi volueris, ad elapsa tempora recedamus oportet.

Poloniae vicinitas, illius regni potentia, simul et par cum Moldovia victricium ubique *Turcarum* periculum, amicitiam cum Polonis, et foedus reciproci suadebant auxilii. Haec ut assequantur, Bogdanus palatinus *Elisabetham*, Poloniae regis nubilem sororem, uxorem ducere statuit. Et eo res pervenerant, ut Lublini, die 10. Februarii 1506, regem inter et Bogdanum, hoc de matrimonio publicis pactis conventum fuerit. [2]) Quum autem *Elisabetha* sponsum adversaretur deformem, negotium, serius dissolutum, in dies procrastinabatur. Hoc temporis intervallo *Bogdanus,* quum audivisset in cerethensi Praedicatorum ordinis ecclesia, fontem jugis aquae sub altari majore promanare, cui morborum et corporis defectuum sanandorum vulgo vis adtribuitur, alienarum licet fidei dogmatum, ad fontem illum, deformitati suae remedium quaesiturus, confugit. Quum autem spes eum fefellisset, nec oculi sanitatem recuperasset, eoque spe quoque privatum se vidisset, uxoris peroptatae ducendae, tam vehementi commotus est ira, ut, qui novum catholicum episcopatum

[1]) Bullam hanc deprompsimus e transsumpto *Nicolai,* bodonensis episcopi, die 28. Julii 1520. facto, quod in archivo ff. Franciscanorum Claudiopoli servatur. Propter tristissimam rei catholicae per Valachiam faciem summus pontifex episcopo milcoviensi »per alias, in forma brevis litteras«, quae baccoviensium religiosorum in laudem fecerit, communicat.

[2]) Cf. Inventarium omnium diplomatum etc. in arce Cracoviensi reperibilium.« Lutetiae Parisiorum 1862. 8. p. 140—141.

— praeter baccoviensem — erigere, cultuique catholico designatum sacellum in palatio suo pollicitus erat adaptare, cerethensium praedicatorum ecclesiam et claustrum dirui jusserit,[1]) et infensissimum in catholicos animum neminem celaret.

Altera calamitas *Tatarorum* sub *Mendikerejo* — 1510. — fuerat irruptio, qui praeter ingentem praedam septuaginta millia Moldavorum in servitutem abegerat,[2]) tertia denique funesta pestis — 1515 — in terram importata, pagos et urbes lacerans, quam non propulsanda fames est sequuta, ut nova hominum millia, corpore per inediam languente, vita discederent.[3])

Varias igitur inter afflictiones hi religiosi viri, Deo lucrandarum et in tribulationibus erigendarum animarum zelo flagrantissimi, *Siculorum* e proximae Transsylvaniae monasterio *Csik-Somlyoviensi* primitus strictioris observantiae, quo temporis momento in Moldaviam venerint, non constat,[4]) sedem autem suam *Baccoviae*, vel ideo forte fixerunt, quia circa circum sexaginta duo numerabantur et hodiedum numerantur hungarici pagi, quorum incolae pastore, praesertim linguae gnaro carebant, et quia fratres Franciscani, qui sede vacante vicarium episcopi generalem e sui medio solebant eligere, aut aerumnis et senio confecti e vivis migrarunt, aut, in captivitatem ducti, claustrum habitatore vacuum reliquerant et fideles ipsi lapidem movebant omnem, ut spiritualibus eorum necessitatibus e proxima Transsylvania provideatur.

Dulci monente patria, non solum quidquid ipsi suavium tristiumve rerum in missionis vita vidissent, aut experti fuissent, diligenter in illam perscribebant, sed quum hujusmodi scriptis longaeva posterum pietatis cura superinvigilaret, multa scitu digna tristem oblivionis evaserunt sortem. Videmus repetitam Tatarorum illuviem, crudelem hominum, pecorum et rerum praedam agere, in catholicos crudelissimum in modum saevire, praesertim hanc Moldoviae partem habitatoribus vacuam reddere.

Anno 1552., quo tempore Turcarum imperator Moldaviae vajvodam secum in Transsylvaniam jusserat irruere, baccoviense monasterium a patribus Franciscanis observantiae strictioris adhuc

---

[1]) *Okolski* l. c. p. 136. Templi fundamenta fortuito paucos ante annos detecta, scholae publicae locandae materiam praebuerunt et peritorum sententia demonstrarunt, muros fuisse tam tenues et debiles, ut fornicem sustentare nequaquam potuissent, quapropter concludere licet, internum ecclesiae tectum simplices trabes formasse.

[2]) *Morgenbesser* in: »rer. mol. delineat.» Cf. Ephemerides polon. Czernovicenses, anni 1884 num. 27.

[3]) E. Ms. coenobii gr. rit. orient. in Niamtz.

[4]) *Timon* l. c. Ep. II. p. 22 dicit sub Mathia Corvino (1458—1490). *Pray* »Hierarchia sacra« II. 34 idem fere narrat, asserens, eos sub Stephano Magno, Moldaviae principe (1456—1504) venisse. Nobis adductas et adducendas adhuc ob causas veritati non consentaneum videtur.

inhabitatum reperimus,[1]) brevi tamen post, quum terra crudelium hostium fieret hostia, simulque penitus inutile fuisset et inglorium in evacuata — numine propitio vitam servante — remanere, in patriam operarii vineae Domini desolatae reversi sunt.

Hanc autem fidelium Christi servorum demigrationem tristissima sequuta sunt rei romano catholicae fata. Nam quum iidem patres, repetitis in Moldavia cruentis turbis intestinis, non perterriti post quattuordecim annos 1566. reverterentur,[2]) tam fidelium numerum ad minimum reductum, quam aedes sacras desolatas, et monasterium ipsum ruinae proximum invenerunt. Historia siquidem teste Moldoviae princeps *Joannes Jacobus Basilicus Heraclides*, »Despota« dictus, qui 1561. provinciae summa fuerat potitus dignitate, quum ipse Lutheri faveret novationibus, et inter urbium cives, praesertim inter *Saxones, Hungarosque* hisce simili propensione videret addictos, Polonum quemdam, *Luzinski,* virum illorum e numero, quos asseclae Lutheri »verbi divini ministros« vocitant, in Moldaviam accersivit, et episcopum eum denuntians superintendentem, sic dictae reformationis eum opus aggredi jussit,[3]) quo tempore — 1562 — nescitur cujus bono, schola dicitur erecta fuisse.[4])

Aedium argentaria sacrarum violenter in aerarii publici rem, unum in acervum comportata, primis in Moldavia cudendis inserviebant nummis, quos »*taleros*« vulgo vocant,[5]) sanctorum imagines profanante manu rogis injectae, ludibrio habitae sacrae vestes, fidelium ovium suarum custodum — nullius auctoritatis habito respectu — tristis in exilium ejectio, principis eversa mens, Luzinskii, hominis temerarii et facinorosi audacia, cuncta totalem rei catholicae per Moldaviam exitum minabantur. Quum autem, vix absoluto sui regiminis triennio, princeps violenta morte diem clausisset extremum et successores ejus vicissitudine velut eos trudente, sese viderentur excipere velle, ita ut illis propriae saluti tantum laborandum esset: fratres S. Francisci pistinas in Moldavia sedes recuperare statuerunt et Domino conatibus illorum indefessis benedicente, non incassum ipsius in vinea pristinum subibant laborem, ac magna licet penuria

---

[1]) Chronicon Fuchsio-Lupino-Oltardinum I. p. 58.

[2]) *Kurz* l. c. II. p. 60—61. ubi transsumpti quoque *Nicolai* bodonensis episcopi fit mentio, cujus initium: »Pro parte Reverendi Patris, Fratris *Bernardini de Somlyo*, ordinis minorum de regulari observantia, Ministri Provinciae Hungariae, ac *fratrum domus loci de Baccov.*« Ex his ultimis verbis nostra sententia *Kurz* non recte conjicit, Baccoviae non claustrum, sed domum solummodo fuisse.

[3]) E litteris archiepiscopi leopoliensis, *Joannis Demetrii Solikowski*, cardinali *Montalto* Romam perscriptis, de dato: Varsoviae 9. Aprilis 1589. apud *Theiner* l. c. p. 44. num L.

[4]) *Wasniewski:* l. c. p. 258, quam assertionem suspectam dicimus, et exortam forte, quia *Baccovia* cum *Kotnar* confunditur.

[5]) *Timon:* l. c. p. 158.

pressi, domus quoque divinae, propriique sarta baccoviensis monasterii tecta redintegrarunt.

Per deceunium — ad annum scilicet 1576. — semper advenis e patria novis erant adjuti. Quum autem sic dictae reformationis virus in Transsylvania quoque fidelium inficeret et corrumperet animos, et S. Francisci sodalium, *Siculorum* in terra degentium, labor indies cresceret,[1]) hi, qui *Baccoviae* morabantur, et excurrentes inde spiritualibus fidelium necessitatibus consulebant, nullis novis aucti cooperatoribus, sui ordinis sacerdotibus, paulatim inter homines esse desierunt.

Ultimus eorum excessit e vita baccoviensis monasterii guardianus, vulgo »frater Franciscus« seu »Ferencz Barát« vocitatus.[2]) Et iterum vastitas monasterio, fidelibus autem in illius amplo circuitu tristis orbitas imminuissent, nisi eodem tempore

De Moldaviae conversione per unionem cum ecclesia romano-catholica

cogitatum fuisset, cujus conversionis factum periculum uberius exponamus oportet.

Ab anno 1572., quo Moldaviae dominus, *Iwonia* dictus, ad hujus terrae regimen obrepserat, miserrima pariter ac tristissima bellorum externorum, caeedium domesticarum, fortunarum inter vojvodas loco sese deturbantes, vicissitudinum iterum coepta sunt tempora. *Petrus,* communiter »*Claudus*« vocatus, transalpinensis, i. e. *Valachiae* vajvodae sive frater, sive filius, sive nepos e fratre, sive demum avunculus,[3]) horum tam bellicosorum et turbulentorum temporum decursu vojvodalem bis erat adeptus dignitatem.[4]) Hanc autem ut retineret, non solum tributum, quod Moldavia Turcis annuatim pendebat, auxit,[5]) verum etiam *Sixti V.* summi pontificis interventione christianorum principum imploraturus opem,[6]) unionem populi sui cum ecclesia romano-catholica se promoturum pollicitus erat.

Hujus consilii autor legitur Italus, nomine »*Bartolomeus Bruti*« fuisse,[7]) quem *Petrus,* quum *Constantinopoli* Moldaviae

[1]) Cf. *Gebhardi* l. c. p. 200.

[2]) Cf. *Bandinii* superius citatam, Romam scriptam epistolam.

[3]) *Wolf* l. c. II. 101 filium dicit, et ibidem, nota c) fratrem quoque nominari testatur. *Stanislaus Varsevicius* Societatis Jesu, de quo serius, in litteris ad Poloniae nuntium 1588. datis, avunculum vult haberi. Aliter alii.

[4]) *Gebhardi* l. c.

[5]) *Gorecius:* »Descriptio belli Iwoniae« apud *Pistorium:* III. 91 centum viginti millium aureorum fuisse dicit.

[6]) Pontifex de dato: »Romae 21 Junii 1586 Petrum Poloniae regi commendat. *Theiner:* Monum. Polon. et Lithvaniae. Romae 1863. fol III. p. 2. num. III.

[7]) *Przezdziecki:* »Litterae Hannibalis de Capua« — polon. — Varsoviae 1852. 8. p. 40 nota 28 dicit eum epirotam fuisse, quemadmodum et manuscriptum bibliothecae leopoliensis ossolinscianae cui titulus: »Provinciae Poloniae Societatis Jesu ortus et progressus. Cf. litteras apud *Przezdziecki* l. c. p. 174. de dato: »Slawkow 25. Januarii 1589.«

principatum ambiret, toga sagoque peritissimum cognoverat, sibique devinxerat, et pater »*Hieronymus Arsenghi*«, qui — nescitur quo jure, — »*vicarii apostolici*«, simul et »*episcopi moldaviensis nominati*« titulum gerebat.[1])

Bruti, quem *Petrus* pro fidelibus servitiis et pro sui causa perpessis aerumnis, aulae suae supremi camerae magistri, capitanei Lopusnensis,[2]) et equitatus supremi ducis insigniverat dignitatibus, quem insuper bonis terrestribus, tria millia nummorum aureorum annui reditus ferentibus donaverat,[3]) adeoque non spernendae vir auctoritatis et potentiae, salubri huic negotio summa sedulitate, curaque suam navabat operam,[4]) et quia summus pontifex pro *Petro*, Moldaviae vajvoda, non solum *Poloniae* regis inprimis imploraverat auxilium, verum etiam ad ecclesiasticos etiam Poloniae proceres, ad *Hannibalem* insuper *de Capua*, neapolitanum archiepiscopum et apostolicum in Poloniae regno nuntium, et ad *Joannem Demetrium Solikowski*, leopoliensem, itaque Moldoviae proximum archiepiscopum, hujus conversionis, seu potius unionis curam detulerat,[5]) res, ipso statim initio concepti consilii, progressum et eventum optimum, i. e. felicem faustumque pollicebatur.

Hannibal de Capua litteris de dato: »Varsoviae 1. Junii 1587.« cardinalem Montalto de convertendae Moldaviae spe reddiderat certiorem,[6]) cujus ad intercessionem pontifex *Petro*, Moldoviae principi breve transmisit apostolicum. Hac pro pontificis benevolentia dum justas debitasque *Petrus* reddit gratias, rem catholicam semper se juvaturum promittit et insimul et apostolicae sedis in Polonia nuntio similem aperit animi sententiam.[7])

Ad haec ipse nuntius litteris de dato: »Varsoviae 22. die mensis Augusti 1587., principis mareschalco *Bruti* perscriptis, ad mente conceptum pium opus, omnibus quibus gauderet viribus, collaboratorem se facilem, paratumque promisit, quapropter *Bruti*, qui »Coloniae Jassiorum« seu »Jassiis« tunc temporis commorabatur, die 7. Septembris 1585. rogat, ut aliquot societatis Jesu patres, linguarum germanicae, latinae, graecae, hungaricaeque gnaros, in

[1]) *Idem:* l. c. p. 40.

[2]) Ibid. l. c. p. 40 in litteris, de date: »Varsoviae 1. Junii 1588.

[3]) *Charrier:* »Negotiationes in oriente politicae« — gall. — III. p. 913. in nota. Inde *Hajden:* » Archivum historicum Rumuniae« — rum. — Bucuresti 1865: 4. p. 174. num. 256.

[4]) *Przezdziecki* loco c. ut nota 7. pag. 52.

[5]) Hoc e sequentibus liquet, quibus docemur, leopoliensem archiepiscopum, unionis fautorem sincerum, tota sua semper usum fuisse auctoritate, qui hujus unionis opus optatum ad eventum perducat.

[6]) In Bibliothecae Brancaccianae manuscripto. *Przezdziecki* l. c. p. 124. num. 29.; et *Hajdeu* l. c. p. 21. num. 4.

[7]) Hae litterae, quarum prior et posterior de dato: »Moldovia 1. Januarii 1588.« verbotenus reperiuntur in *Theiner* l. c. III. p. 12. sq. et saepius in diversis diplomatum publicationibus fuerunt reproductae.

Moldaviam mittat, quibus, eorum necessitatibus consulturus princeps, cothnarensem jam assignaverit civitatem, *Hungaris* et *Saxonibus* habitatam, tribus insuper, cum annuo reditu quingentorum, vel saltem quadringentorum aureorum gaudentem ecclesiis et domibus aliquot, quae patribus recipiendis et clericorum seminario condendo videantur aptissimae. [1])

Rebus ita compositis, et quum societatis Jesu, qui sperabantur, patres, pauci, labori suscipiendo minime pares viderentur, de patribus quoque *Franciscanis* vocandis coeptum est consilium. Nam *Bruti*, domini sui mentem litteris de dato: »Jassiis 14. Januarii 1588.« dum summo nuntiat pontifici, [2]) simul et certiorem illum reddit, *Petrum* in animo habere, zelosissimos in animarum cura patres *Franciscanos* in baccoviense monasterium revocare, quibus villam *Terebes*, prope Baccoviam sitam, ad quinquaginta numerantem hungaricarum familiarum coetum, cum duabus vineis et duobus molendinis ad victum et amictum dare vellet. [3]) Nuntio simul et apostolico sub eodem dato refert, patres regulares *Baccoviae prius* commorantes, tam ob sacerdotum paucitatem, quam ob necessarium linguarum, germanicae praesertim et hungaricae ignorantiam, minus aptos fuisse, qui cunctis, ad quindecim millium numerum recensitis catholicis consolandis pares essent, ideoque rogare se, ut nuntius apud archiepiscopum leopoliensem intercedat, qui, quemadmodum et promisisset, de fratribus sic dictis »*Bernhardinis*« provideat. [4])

Archiepiscopus leopoliensis litteris de dato: »Leopoli 23. die mensis Februarii 1588.«, dum horum omnium veritatem et necessitatem, sponte perhibito testimonio suo, nuntio confirmat apostolico, [5]) die sequenti simul et sumno scribit pontifici, [6]) quae rerum sit facies, et non solum quae suarum sint partium praestiturum se promittit, sed insuper die 24. Februarii 1588. cardinali *Montalto*, [7]) postmodum 29. Maji 1588. trasmisit litteras [8]) in quibus omnem locum precibus implet, ut *Bruti* pro meritis suis a sanctissimo patre dignis afficiatur praemiis.

Interim et nuntii sedis apostolicae, *Hannibalis de Capua, De-*

---

[1]) *Theiner* l. c. III. p. 5. num. XII. *Hurmuzaki*: »Documenta ad hist. Rum.« Bucuresti 1880. 4. p. 95—96. num. LXXXI.

[2]) *Theiner* l. c. p. 14. num. XVI.

[3]) Hoc insuper de baccoviensi superaddit monasterio: »Dove il padre *Gierolamo (Arsenghi* vel *Arseghni*, de quo supra) con l'aiuto del principe in *Baco* si trova, a riconciar il monasterio e camere per li fratti«, scil. qui sperabantur. *Kurz* l. c. II. p. 63. deflectens a veritatis tramite scribit, hunc Hieronymum, quem Monachum e Polonia vocat, jam 1580. baccoviense monasterium »*violenta manu*« sibi vindicasse, quod habitatore vacuum fuisse constat.

[4]) *Theiner* l. c. p. 14—15.

[5]) *Ibid.* p. 16. et 17.

[6]) *Ibidem.*

[7]) Eodem loco.

[8]) *Ibid.* p. 18.

metriique Solikowski, leopoliensis archiepiscopi petitionibus prompte satisfacturus pater *Campana,* societati Jesu per Poloniam praepositus provincialis, Varsoviae residens, »missionarios« in Moldaviam designat patres: *Stanislaum Varsevicium, Joannem Kunig* et *Justum Rab,* quibus coadjutor temporalis [1]) additur. [2])

Hi quum in Moldaviam venissent, et liberam ubi vellent, habitandi facultatem a principe fuissent adepti, *Roman* sibi civitatem elegerunt, et sedem primam ibi fixerunt, [3]) commissum sibi pium opus in Domino tentaturi. Nam licet *Hannibal de Capua* litteris de dato: »Witkow 7. die mensis Aprilis 1588. cardinalem *Montalto* de cunctis unionis tentandae circumstanciis certiorem faciens, [4]) postmodum Cracoviae 22. Junii 1588. conquestus fuisset. inter societatis Jesu patres et strictioris observantiae fratres in Polonia non esse, qui linguas calleant hungaricam et germanicam,[5]) tamen praepositi provincialis Campanae dispositionem edoctus, non solum eam approbavit, verum etiam patri *Stanislao Varsevicio* dedit in mandatis, ut pontificis, Poloniae regis, et cardinalis *Aldobrandini* commendatoriis litteris instructus, *Petrum,* Moldaviae principem, personaliter adeat, illoque salutato, lucrandarum Deo prospiciat animarum saluti.[6]).

Interim *Petrus,* Moldaviae princeps, ipse Romam ad pontificem properat, unde »1 Junii 1588« quae cum sanctissimo patre sit locutus, propria manu Cracoviae tunc temporis commoranti significat *apostolico nuntio,*[7]) *Franciscus Sivori,* qui Moldaviae principi Romae fuit a secretis, eademque die domini sui nomine commendationum perdiligenter observatarum causa gratias egit.[8])

Die tandem 7 Septembris 1588 pater *Stanislaus Varsevicius* nuntio scribit apostolico, se cum sociis feliciter in Moldaviam venisse, principem, Roma reversum, omnes litteras magna laetitiae significatione suscepisse, praesertim illas summi pontificis, quas non solum osculatus sit, verum etiam capiti suo, subjectionis et obedientiae velut in signum, imposuisset, *Saxonibus* autem et *Hungaris,* nunc haereticis, qui romano-catholicae quondam suberant ecclesiae, pulsis eorum ministris, edictum esse, ut ad pristinam fidei suae professionem revertantur, aut terra cedant. Illis, in caulem Domini redeuntibus, parochis inprimis opus esse, qui temporis decursu pro

---

[1]) Id est »frater laicus« vel »conversus« aliis religiosis ordinibus dictus.

[2]) *E.* Manuscripto nota 7. pag. 52. citato.

[3]) *Theiner* l. c. p. 14. num. 1.

[4]) *Przezdziecki* l. c. p. 124—127. num. 29.

[5]) *Idem* ibid. p. 146—150, num. 34.

[6]) Ut nota 218.

[7]) *Theiner* l. c. p. 35—36.

[8]) *Idem:* ibid. p. 36—37. Hic adductas litteras e Theineri diplomatum editione novissimo tempore regium Rumuniae ministerium in illius sumptibus in publicum prolatis *Hurmuzakii*: »Documenta ad histor. Rum.« reproduxit.

Moldavia quoque domesticis in institutis formandi censentur [1]) quem in finem, quum et *Valachiae, Russiae rubrae,* vicinaeque *Transsylvaniae* speranda sit conversio, sumptibus pontificiis, [2]) mille, vel mille ducentorum scutatorum[3]), ad annos viginti vel quindecim seminarium esset instituendum. »Expediret etiam« — verba sunt *Varsevicii* — »ut propter ordinem hierarchicum observandum, sua Sanctitas curam ecclesiarum catholicarum, quae utuntur ritu romano Reverendo Domino Archiepiscopo Leopoliensi et successoribus ejus litteris suis commendaret, et *ut crearet illi Suffraganeum in illa provincia,* qui ibidem semper adesset, et ecclesiis superintenderet. Quamvis ibidem ecclesiae catholicae sint pauperrimae, tamen successu temporis modus aliquis sustentandi invenietur.« [4]) Haec Varsevicius vacante boccoviensi sede commemorare posse putabat.

Pulchrum sane, praestansque religiosae charitatis indicium est, *Varsevicium* ne minimo verbo quidem illius ferae malignaeque commemorare mentis, quibus patrum societatis in Moldaviam adventus a reliquis sacerdotibus, fratribus praesertim baccoviensibus strictioris observantiae, interim e Transsylvania appulsis, fuerat exceptus. Hujus circumstantiae leopoliensis archiepiscopus in litteris de dato: »Varsaviae 9 die mensis Aprilis 1589« cardinali *Montalto* transscriptis, hac adjecta causa meminit, quod arbitrarentur, hosce religiosos viros absque sanctae sedis apostolicae consensu, nulla veluti autoritate sese intrudentes, venisse.[5]) Hac tamen agendi ratione, quum ad saniorem de rebus mentem inclinari nollent, desideratas insuper linguas praeter unam hungaricam non callerent et vita quoque — sicut instituta desuper inquisitione fuerat compertum, paululum essent dissolutiores, quapropter et *Bruti* conquerebatur de illis, in Transsylvaniam, unde vocati fuerant, sunt remissi. Quum itaque patrum societatis Jesu proficuos in animarum cura labores, *Petrus,* Moldaviae princeps, datis 3 Octobris 1588 litteris, apostolico regni Poloniae nuntio paucis quidem, sed laude plenis commendas-

---

[1]) *Idem* : ibid. p. 43—44. Seminarii mentionem et memoriale facit, quod anno 1588 a nuntio apostolico porrectum legimus apud *Theiner* l. c. p. 14 num L. quo promovendae per Moldaviam romano-catholicae fidei methodus proponebatur.

[2]) Praecedentibus immediate litteris addita fuit schedula, cum propositionibus variarum rationum ad promovendam rem catholicam. Inter alia legimus: »Non est expectandum a Moldaviae principe hoc tempore, ut ipse hunc sumptum faciat aut subeat, quin potius liberalitate Suae Sanctitatis esset alliciendus. Nam pendit magnum tributum Turciae (quamdiu non datur facultas seu occassio illius excutiendi) et ordinarium et extraordinarium, ut aliquando ad ducenta millia hungaricorum aureorum pertingat . . . Praeterea alit semper ad quinque millia militum, tum circa se, tum in finibus. Unde et solvit magnas usuras . . . successu tamen temporis possit aliquid ab eo sperari etc.

[3]) Scutatus aequat $1^1/_2$ taleror. valorem.

[4]) Ut nota pag. 55. num. 3.

[5]) *Theiner* l. c. p. 44. num. L.

set verbis,[1]) hic e Slawkow die 14 Octobris 1588 cardinalem *Montalto* non solum hac de re, sibi laetissima, certiorem facit, verum etiam postulat, ut *Petro,* de terra sua quam optime meritos et ideo *desideratos* sancti Francisci quoque religiosos mittat, quos generalis horum minister, Romae residens, eligat, idoneos, i. e. necessariarum linguarum gnaros. [2]) Pristina horum religiosorum merita princeps ipse pontifici commendat, ad quem aeque 3 Octobris 1588 litteras dederat.[3])

Et graeci ritus orientalis archiepiscopus Soczaviensis et metropolita Moldaviae *Georgius Mohila*, litteris de dato: »Soczaviae 15 Octobris 1588, dum »post oscula beatorum pedum beatissimi patris« de sui ipsius in ecclesiam romano-catholicam observantia loquitur, tam modernorum societatis Jesu patrum, quam pristinorum sic dictorum Franciscanorum gratam facit mentionem.[4]) Idem fit in ejusdem ad apostolicum in regno Poloniae nuntium eodem dato transmissis litteris.[5])

Bruti quoque de romano-catholicae fidei per Moldaviam statu dum e »Bereszie 26 die Novembris 1588« eidem apostolico nuntio specialem reddit rationem, eorundem olim in terra degentium Franciscanorum laudis non est oblitus.[6])

Eodem hoc tempore *Bartholomeus Bruti* cum *Jeremia Mohila*, metropolitae fratre, legatus in Poloniam venerat, et e »Zamosc« 10 Novembris 1588« sanctissimo patri *Sixto* V summa reverentia retulit, se principis sui *Petri* litteras, quibus apostolicae sedi suam spondet obedientiam, apostolici legati — cardinalis *Aldobrandini* — secretario cum principis dono, materia scilicet serica acu ditissime filis aureis pictam, Romam transmittendam, tradidisse. [7])

Hac autem ratione Moldaviae converiendae negotio prospere procedente, pater *Stanislaus Varsevicius*, lublinensis collegii rector creatus, in patriam revertitur. In itinere *Slawkoviam* ad apostolicum nuntium devertitur, ab illo conveniendi petiturus aditum. Ad colloquium admissus, et Moldaviae terrae procerum et graeci ritus orientalis cleri propensum ad suscipiendam romano-catholicam fidem

---

[1]) Idem l. c. p. 13—14.

[2]) *Przezdziecki* l. c. p. 166—169, num. 38.

[3]) *Theiner* l. c. p. 13. »Cum itaque sanctae fidei catholicae per Reverendos Fratres Franciscanos et pios Doctores societatis Jesu, quos et honestissime suscepimus et liberalissime in provincia nostra alimus, ejuscemodi nunc sint fundamenta jacta ut nullo modo amplius ecclesiae hae ab universali corpore avelli possint« etc. etc.

[4]) *Theiner* l. c. p. 46. »Longe vero plus (quam Bruti) omnes pii debent Reverendissimis Fratribus Franciscanis et Patribus Societatis Jesu, quos et unice amamus et singulari quadam pietate prosequimur.«

[5]) Theiner l. c. p. 46. »Quod fratres Franciscanos et Patres hos Societatis adtinet, non secus ac pater filiorum sic ego ipsorum curam geram.«

[6]) *Theiner* l. c. p. 15—16.

[7]) *Idem :* ibid. p. 47—48.

laudat animum, insimul fatetur, optima quidem se spe teneri, seminario tamen inprimis opus esse, reique bonis ominibus hucusque tractatae, multum emolumenti e litteris emanaturum pollicetur, a summo pontifice non solum metropolitae *Georgio Mohila,* sed et suffraganeis illius, episcopis: *Gedeoni* Radovicensi, *Agathonique* Romanensi perscribendis.[1])

His de rebus *Hannibal de Capua* cardinalem *Montalto* certiorem facit,[2]) cui similiter e »Slawkow die 12 februarii 1589« refert,[3]) occupatos in missione moldavica patres ob plebem, in poenas ab auctoribus rerum novarum repetendas proclivem, introductionem calendarii novi pertimescere,[4]) simulque petere, veteris ut illis calendarii permittatur usus, nisi summus pontifex terraeque princeps forsitan aliter sentiant.

Itaque *Sixtus V,* summus pontifex, summaeque dignitatis ecclesiasticae romano-catholici viri et graeci ritus orientalis praesules et magnates hanc Moldaviae conversionem ad principis *Petri* vota foventes, patres societatis Jesu, sanctique Francisci fratres, Deo lucrandarum animarum operi — pie suscepto — diligenter sese accingentes, illique insudantes, optima spe nutriebantur, eventum, communibus omnium satisfacientem votis, ut dicunt, jam in manibus teneri. — Sed aliter, et penitus contrarie fata tulerunt.

Summus enim pontifex bulla sua de dato: »Romae 19 die mensis Augusti 1589« plenam in Moldavia spiritualem jurisdictionem leopoliensi quidem archiepiscopo commiserat,[5]) et *Demetrius Solikowski* litteris de dato: »Varsoviae die 13 Decembris 1589« pollicitus est, se Moldaviam omni pastorali vigilantia, curaque tuiturum; [6]) quin et ipse *Bruti,* non solum apostolico in Polonia nuntio, sed cardinali quoque *Montalto* rei per Moldaviam catholicae prosperiorem indies progressum significaverat: [7]) sed omnibus his hilari mente conceptis rebus gerendis, politicae mutationes brevi non removendum posuerunt obicem.

Petrus etenim princeps, cujus sub auspiciis vineae Domini terris in illius dilatandae fervebat opus, eodem anno 1589 bellicosissimi sui temporis transalpinensis vajvodae, *Mihaelis,* hostilem timens

[1]) *Przezdziecki*: l. c. p. 272—275, num. XL.

[2]) *Ibidem.*

[3]) *Idem*: ibid. p. 176—178.

[4]) Calendarium novum introductum erat in Poloniae regnum die 21 Decembris 1585, quae dies erat feria 3. Quoad Moldaviam notandum, patriarcham Constantinopoleos, qui semper se moldaviensium quoque caput ecclesiarum esse praetendebat, anno jam 1583 protestatum fuisse modo solemni, quominus calendarium — gregorianum dictum, — in Moldavia quoque recipiatur. Cf. litteras nuntii reipubl. venetae *Francisci Moresini* de dato »Perae 23 Augusti 1583. venetorum principi transmissas, apud *Hurmuzaki* Document etc.« IV. 119 num. XLVI.

[5]) *Theiner* l. c. p. III.

[6]) *Idem*: l. c. p. 92.

[7]) *Idem* l. c. p. 93—94. Litterae de dato: »Jassi 31. Octob. 1589.«

incursum, fuga sibi consulturus capitur et Constantinopolim traducitur, unde — prioris reginimis recuperandi spe delusus, propriae saluti provisurus, in Austriam profugit.[1])

Mirum profecto minime videri potest, hac *Petri* principis dira calamitate rem quoque catholicam in Moldavia, brevi temporis intervallo, tristem illam imaginem praesetulisse, quam oculis objectam habemus, si lapis aedificii movetur angularis. Parietes et tecta concidunt, et superbae quondam domus locum vastae contegunt ruinae.

Petrum principem *Aron* »*Malus*« vel »*Crudelis*« dictus, hunc autem *Stephanus Rezovan*[2]) supremus Aronis exercituum dux, paucis regiminis annis interpositis, sequitur. Intestini, quibus Moldaviae viscera tunc lacerabantur motus, quorum saevitiam non *Turcae* solum, sed etiam Transsylvaniae princeps pari studio nutriebant, ideo Moldaviae convertendae susceptum negotium interrumpere solum, nequaquam autem penitus destruere posse videbantur, quia summus pontifex, et Moldaviae ritus orientalis clerum brevi suo de dato »Romae 5 die mensis Aprilis 1590,« ad unionem cum ecclesia romano-catholica blandis invitaverat verbis,[3]) et eodem die *Poloniae regem*,[4]) ut et quinque diebus post, decima scilicet Aprilis 1590, magnum regni Poloniae cancellarium *Joannem Zamojski* pro principe, pristinam in dignitatem suam restituendo, suis interpellaverat precibus.[5]) Attamen et iteratae pontificis, die 24 Aprilis 1590, ad *apostolicum* in Poloniae regno *nuntium* exaratae, similis intentionis litterae[6]) quum — quemadmodum *Bruti*, qui Varsoviam se contulerat, die 24 mensis Augusti 1590 cardinali *Montalto* perscipserat,[7]) *Polonia* de pace cum *Turcis* ineunda cogitaret,[8]) fructu suo frustrati laboris opus erant.

Incassum quoque *Bruti*, cui leopoliensis archiepiscopus[9]) et

---

[1]) Haec collegimus e relationibus legatorum reipublicae venetae, Constantinopoli degentium, patriae senatui factis et publicatis in documentorum collectione *Hurmuzakii*, superius jam citata, praesertim e relatione *Giovanni Moro*, de dato: Perae 4 Augusti 1589 et 17 Februarii 1590; *Hieronymi Lipomano*, de dato: »Perae 16 Martii 1591« et *Lorenzi Bernardo*, de dato: »Perae 7 Septembris 1591« qui fugae faciens mentionem, adiecit: »con tutto il suo avere.« Cf. *Nilles* »Symbolae« etc. Oeniponte 1885. 8. maj. p. 979. sq.

[2]) *Timon*: l. c. p. 286 *Hofmannum* illum appellat. *Piasecki*, in Chron. gestor. in Europa 1640 fol. p. 128 nomen illi *Stephani Radul* imponit. Aliter alii.

[3]) *Theiner* l. c. p. 165—166.

[4]) *Ibid.* p. 166.

[5]) *Idem* ibid.

[6]) *Idem* ibid. p. 167—168.

[7]) *Idem* ibid. p. 176—187.

[8]) Pacis hujus, per *Zamojscium*. pocillatorem lomzensem sancitae, puncta vide in: »Inventarium omnium et singulorum et privilegiorum etc. quae in arce cracoviensi asservantur.« Luteticae Parisior 1862. 8. p. 157—158.

[9]) Cf. litteras de dato: »Lublini 26 Maj. 1589« apud *Przezdziecki* l. c. p. 216—219, num. L.

apostolicus in regno Poloniae nuntius[1]) »*defensoris fidei*« titulum a summo pontifice volebant imponi, ejusque filio *Antonio Stanislao*, primis ordinibus initiato, dioeceseos *Capo d'Istriensis* clerico, de quadam eccleziastica dignitate provideri,[2]) *Bruti* quoque — lapidem veluti movens omnem, *Hannibali de Capua* frustra romano-catholicorum in Moldavia sacerdotum continuam in animarum cura laudabat solertiam,[3]) frustra quoque *Sixti V* — post *Urbani VII* brevem, duodecim nimirum dierum, pontificatum, — in S. Petri sacra sede successorem *Gregorium XIV* litteris de dato: »Varsaviae 18 Januarii 1591,« veneratur,[4]) et aliis litteris de dato: »Varsoviae 22 die mensis Januarii 1591« cardinali *Montalto* moldavicarum ecclesiarum curam enixe commendabat.[5]) Rogabat quidem et leopoliensis archiepiscopus 29 Martii 1591 summum pontificem, ut moldavicae provideat ecclesiae,[6]) de cujus statu sanctissimo patri 4 Aprilis 1591 reddit rationem, ut de ovili, nuper aperto, et in illis oris posito »in quibus jam, Constantinopolim usque, praeter leopoliensem, nullus est tot populis, gentibus et terris episcopus;«[7]) sed haec omnia nullius erant fructus.

Novus Moldaviae princeps *Aron* favorem suum, romano-catholicae fidei dogmata terris in suis profitentibus non denegabat quidem,[8]) sed quum *Turcarum* ob avaritiam, e vajvodis Moldaviae majus in dies tributum exigentium, et ob transsylvanorum principum *Transalpinaeque*, seu *Valachiae* dominorum invidiam timendae essent moldavicorum principum mutationes, sibi potius quam subditis consulendum ducebat, sanius in eo proposito videns consilium. Nam tunc temporis reipsa depositi Moldaviae vajvodae *Poloniam*, *Italiam* et *Germaniam* vagabundi mendicique pererrabant.[9])

---

[1]) Cf. litteras de dato: »Varsoviae 25 Aprilis 1589« ibid. p. 209. 210. num. XLVIII.

[2]) *Theiner*: Monum. Polon. et Lith. III. p. 177. num. CXXXIV.

[3]) *Theiner* l. c. p. 177. »Questo dico a v. S. Illma ac Rema, accio Sua Beatitudine sappia, che la nova vigna di Moldavia fa frutti in servitio della Santa Sede Apostolica, et gli patri, quelli a presente sono, non sono ociosi.

[4]) *Theiner* l. c. p. 191—192.

[5]) *Ibid* p. 102.

[6]) *Idem* Ibid.

[7]) *Idem* Ibid. p. 193—194.

[8]) *Hajdeu* l. c. II. p. 151. num. 320 episcopi *Visconti* reproduxit relationem, Romam factam, in qua sequentia leguntur: »In Moldavia domina Aron, christiano di fede ruthenica (ritus igitur graeci non uniti) mache non si é mai mostrato abhorente dai Catholici. Costui ha scritto due volte a St. Padre, et nella prima conparole chiarea mostrato di confessar, che S. Stá sia vicario d. Christo, successore di S. Petro etc. etc.

[9]) *Hajdeu* l. c. »Molti anni in qua si vedono di quando in quando vagabondi et mendici per Germania, per Polonia et per Italia quei signori, cui poco prima erano Patroni delle dette Provincie.« Caeterum Moldaviae princeps Polonorum regno plerumque praestans homagium, in Poloniam semper sibi reservabat refugium. Hoc quum ultimis temporibus factum non fuisset, sic dictos »de-

Facile lectorum quilibet perspicere potest, hoc in rerum publicarum statu vel ipsius quoque terrae statum nec integrum, nec incolumem, nec ut verbo rem absolvamus omnem, talem fuisse, qui non mundanis, verum spiritualibus rebus operam suaderet esse navandam. Magnatum proprio singulorum aemulationis fastu provocatae conjurationes, crudeles hostium incursus, incendia, rapinae, caedes et alia quae bellum, id Dei flagellum, sequuntur mala, tam fidelium gregem quam illius pastores maximam ad partem vel disperserunt, vel sibimet ipsis, pro cujuslibet posse, consulere coëgerunt.

Nulla penitus Moldaviae deinceps ad fidem romano-catholicam convertendae fit mentio, nec in his deplorandis diebus ulterior occurrit memoria ab aliquo, visitatoris apostolici dignitate praedito viro lustratam fuisse. Fideles imo velut »*in dispersione*« existentes judicandi sunt, nam et »*episcopus*« ille »*Moldaviae nominatus*,« qui »*Soczaviensis*« quoque dictus fuisse traditur, [1]) cujusque prouti nonnulli volunt, olim violento adminiculo baccoviense monasterium fuerat occupatum,[2]) publica rerum facie coactus fuisse videtur, oviculas fortunae, varietatis amicae sodali, committere. Societatis quoque Jesu patres, quorum nonnulli, quum *Sigismundus Bathoreus*, Transsylvaniae princeps, illos de regione sua depulisset, receptum ad Moldaviae principem fecerant et sancta hospitalitatis imploraverant jura;[3]) paucis tantummodo praeerant ecclesiis, quas tamen illis disturbiorum temporibus dereliquisse videntur, ut et alii rerum circumstantiis ad id coacti sacerdotes, quos, eorum necessitatibus quum sumptibus publicis non fuisset provisum, redactus ad summam paupertatem colonus, si quis erat, alere non poterat.

Tristis profecto, deplorandusque rerum status, post juste con-

---

possedatos,« vel e sede dejectos exulum sors manebat. Hujus rei tristissimam — quoad Germaniam illustrationem *Petri Raresch* nepos *Wolfgangus* praebuit ille, qui saeculo XVI exeunte, summis allaborabat viribus, ut avi principatum adipiscatur; Postmodum autem *Stephanus Rezvan* »*Görgice*« plerumque dictus, in Germaniam profugiens, consumpta ad victum et amictum pecunia, venditisque, quae secum asportaverat, clenodiis, miserrime diem clausit extremum. Quum autem haec ut a re nostra perquam aliena, et summis tantumodo — ut ita dicamus — labiis sint adtingenda, meminisse sufficiet, in augustissimae domus Brandenburgicae, Berolini coasservato secreto familiae archivo, plurima huc spectantia documenta reperiri, quorum non mediocrem partem publicam in lucem protulit *Papiu Illarianu* in: »Thesaur. monumentor. hist. rom. (rumun.) Bucuresti 1862. seq. 4°. Tomo III.

[1]) *Baronius* in vita b. Salomeae. Sed anachronismus nobis — ut e sequentibus patebit — commissus videtur, si *Arzenghi*, proximi jam successoris *Petri* tempore, vel ipsius *Petri* diebus, quod majus est, episcopus Soczaviae, Moldaviaeque vocatur, quum episcopatus illius in multo seriora tempora sit reponendus. Cf. p. 70. sq.

[2]) *Kurz* l. c. p. 63—64.

[3]) Cf. *Przezdziecki* l. c. p. 196—201 epistolam *Hannibalis de Capua*, de dato »13 die mensis Aprilis 1859« cardinali *Montalto* transmissam, et patris *Bernard*, societatis Jesu, de dato: »17 Martii 1589« ibidem.

ceptam illam, cujus non vana spes affulserat, fidelium totius Moldaviae catervae pastoratus imaginem.[1])

Interim in proxima Transsylvania reformationis opus longe lateque Saxones inter et Hungaros ceperat incrementa, non autem inter Siculos, ubi fratres S. Francisci strictioris observantiae summis laborabant viribus, ne fidelium animae detrimenti quid patiantur. Et probe scientes, cum sic dictis »verbi divini ministris« doctrinae quoque sibi pugnandum esse versimodis armis, vitaeque suae candare doctrinae suae venientes in auxilium, fratres moderni diversissimi censendi sunt a fratribus, Moldaviae principis *Petri* temporibus Baccovia remotis. Magnum hoc erat meritum *Pauli Thelevenyi*, per Hungariam ordini praepositi provincialis, qui, licet ordinis proprii honorem divinae gloriae, salutique proximi postponeret, dum Baccoviensis monasterii recuperandi cepit consilium, praeter excelsos, quos prosequebatur fines, et suos fratres in provincia moldaviensi voluit rehabilitatos. Non exspectabat pacatiora tempora, sed fratri Valeriano Lubieniecki, custodiae Transsylvaniae membro, litteris in monasterio csikiensi die 29 mensis Augusti 1594 exaratis dedit in mandatis, ut ad recipiendum baccoviense monasterium quum sit idoneus, ad meritum salutaris obedientiae Moldaviae principem adeat et sedulam navet operam, ut injuncta sibi praestet. »Si autem quae« — verba sunt missilium — in recuperando difficultas emerserit, tibi plenariam authoritatem illa omnia faciendi et exequendi concedimus, quae ad recuperationem predicti monasterii serviverint.[2])

Hoc sibi comissum officium principis in aula versans *Lubieniecki* dum exequi satagit,[3]) *Clemens* pontifex maximus, hujus nominis octavus, cardinalis olim *Aldobrandini*, romanaeque sedis in Poloniam legatus a latere, moldavicarum itaque rerum ecclesiasticarum peritissimus, litteris de dato Romae 5 Januarii 1696 *Poloniae regi* nuntiat, se majoris dignitatis ecclesiasticae sacerdotem in Poloniam esse

---

[1]) *Melchisedek* in saepius attracto famoso libello »*Papismul*« etc. p. 15, 45 et 57 multa profert, quae nemo rerum gestarum gnarus subscribet. Ignotum penitus romano-catholicum episcopum — anonymum — 1592 cum principe *Rezvan*, in terram, a Clemente VIII missum, introducit, et quod majus est, ad hanc suam sententiam firmandam adducit diploma, vi cujus terrae bojerones ineunte saeculo XIX non aliud profecto testantur, quam horrendam et contumelia dignam patriarum rerum gestarum ignorantiam, ad quam non erat appellandum.

[2]) *Kurz* l. c.

[3]) Quum tempus recuperati baccoviensis monasterii re ipsa figi non possit, *Lubieniecki* vero diversis principem, gravissimisque distentum curis, certo certius non statim ad sua deflexerit vota; quum insuper Poloni, principem debellaturi, novumque, *Mohilam* scilicet *Jeremiam* evecturi, sint in Moldaviam ingressi, *Lubieniecki* vero — serius baccoviensis episcopus creatus, hanc dignitatem principis in aula degentium magnatum Polonorum favoribus assequutus fuisse perhibeatur favores autem primo statim momento, raptim veluti, piscari non potuerunt: iuste conjicere licet, ipsum repentina commutatione rerum coactum fuisse pacatiora tempora patienter operiri et ideo principis in aula diutius morari.

missurum, qui cunctis baccoviensis episcopatus necessitatibus provideat.[1]) *Wolfgangus* nimirum, illius *Petri* nepos, cui Moldaviae cum romana sede conjunctio tantopere cordi fuerat, avi dum anhelaret regnum, vel summum potificem hujus consequendi non celabat conceptum consilium, vel *Clemens* VIII aliunde, quae molirentur, edoctus, spem alebat, hoc principe *Petri* traditiones renasci posse. Instruens itaque litteris credentionalibus de dato: »Romae 12 Januarii 1596« *Benedictum*, episcopum casertanum, et suum »praelatum domesticum,« ut nuntium eum a latere ad *Sigismundum* III, Poloniae regem misit.[2])

Agitatis ultro citroque rebus

sedes episcopalis baccoviensis restituitur

quidem 1598, sed proprius illi non designatur episcopus, quum camenecensis in Podolia, leopoliensisque praesules inter sese de Moldaviae visitandae jure contenderent.[3]) Dudum quidem baccoviensis episcopus leopoliensis archiepiscopi suffraganeum agebat; sed priori sede vacante, rebusque per Moldaviam ecclesiasticis vacillantibus, camenecensis episcopus, qui sciebat Moldaviae principem cum familia nobili *Tarlo* connubium anhelare, conditionemque positam illi fuisse, ut ad patrum fidem romano-catholicam reverteatur, publicis prudenter usus circumstantiis, *Michaeli Tabucae, Fegedino* (quod apud *Theinerum* Mon. Polon. et Lithvaniae II. 761 error typi nobis videtur, pro Szegedino scilicet e Szegedino Hungariae urbe oriundo), sacerdoti, Hungarorum Hussitarumque in Moldavia conversione meritissimo, duodecim alios dioceseos suae sacerdotes in auxilium submiserat, et spiritualis inde in Moldaviam jurisdictionis titulum sibi vindicabat, quem leopoliensi sede demum iterum occupata, quibus poterat ut suum defendebat modis et argumentis.

Ut igitur neutri, speciale jus praetendenti compositam ante litem derogetur, in Moldaviam non specialiter designatus baccoviensis mittitur episcopus, sed episcopus argiensis[4]) in Valachia »*Bernardinus Quirini*« nomen illi erat, et »Visitator apostolicus« dicebatur.

---

[1]) *Theiner* l. c. p. 249.

[2]) *Idem*: ibid.

[3]) In instructione 1599 nuntio apostolico — episcopo de Reggio — in Poloniam abeunti data, cujus fragmentum — agens de Moldavia — *Hajdeu* l. c. Tom. I. 2. pag. 117, num 310 reproduxit, legitur: »L arcivescovo di Leopoli et il vescovo di Camegnitz pretenderano di havere *jus visitandi* la Moldavia etc.

[4]) »Argis« vel »Curtea d'Argis, oppidum est Valachiae septemtrionalis prope Transsylvaniae fines, quod a flumine, cujus ad sinistram jacet ripam, nomen traxit. Ecclesiae quondam episcopalis r. c. fundamenta, turrisque pars hodiedum supersunt. Fundamenta perhibent, ecclesiam, caeterum parvam, unius navis basilicae formam habuisse, clausam ab oriente, arcuata pariete prosiliente. Turris erat quadrangularis, muri sic dictum opus reticulatum: Cf. *Reissenberger* »Ecclesia episcopalis in curtea d'Argis« e Tom. IV. c. r. comissionis aedificiis monumentalibus scrutandis et conservandis.« Viennae Austriae 1860. 4°. germ. p. 3.

Natu Candiota,[1]) religiosus erat fratrum S. Francisci strictioris observantiae, Baccoviae que cujus monasterium *Lubieniecki* recuperaverat, sedem fixit.[2])

Hic episcopus, qui deaurati, quo sacris in functionibus utebatur, pedi sui pastoralis causa vulgo dicebatur »aureus,«[3]) injuncti sibi visitatoris officii quum esset zelosissimus et quum Moldaviae princeps pontificiis de dato: »28 die mensis Aprilis 1601«, vel non monitus prius jam libenter obsequeretur monitis,[4]) dioecesim, utcunque peramplam, altero statim post designationem i. e. 1590 perlustravit anno.[5])

Quum scilicet a terrae principe *Jeremia Mohila*, cui *Poloni* dignitatem hanc evicerant, benigne exceptus, et liberi sui pastoratus exercitii nactus fuisset assecurationem, a patre *Nicolao Bernardo*, societatis Jesu religioso, quem secum adduxerat, comitatus, Baccovia, solita praesulum residentia movit, dioeceseos ecclesias et parochias visitaturus. Quindecim civitates et sedecim villas romano-catholicis invenit habitatas dogmatibus addictis, qui numerum mille sexcentarum nonaginta unius familiarum adtingebant, animas complectentes decies mille septingentas quadraginta.[6])

Ad sacram de propaganda fide hac de visitatione quam fecerit relationem; qui tamdiu supremi pastoris et sacerdotum piorum destitutorum fidelium fuerit status; qui locis in nonnullis irrepserint et invaluerint tristes abusus; cuncta nos docet, simulque cogit, ut quae mala proferuntur, publicarum et privatarum excusemus rerum natura. Sic dictae reformationis turbinibus dissoluti mores, labefactata fides, expositi sacerdotis vita fere solitaria, nec ea gaudens amoenitate, quam quotidianam vocamus, continuus belli strepitus, quo comitatus dies diem trudebat, et alia quae sunt fragilitatis humanae fomenta, si colliguntur in unum, non idonea solum sed fere justa quoque tegunt excusatione, quae visitatoris apostolici relatio vituperanda nobis enumerat. — Audiamus eum!

Ipsa *Baccovia* duabus — illo teste — gaudebat ecclesiis, qua-

---

[1]) Scriptores Moldavici consona voce Italum eum faciunt. In relatione de peracta visitatione Moldaviae, mox adducenda, Candiotam se dicit.

[2]) In archivo patrum Franciscanorum Claudiopoli documentum asservatur, cujus tenore docemur, in monasterio baccoviensi die 25 Junii 1601 P. f. *Valerianum Lubieniecki*, custodem custodiae Transsylvaniae gardianum loci, *Joannem Varadi* concionatorem, *Ludovicum Angyalos* confessorem (i. e. confessarium) testari, *Bernardinum Quirini*, quem »ex ordine nostro« dicunt, fratres horto donasse:

[3]) E relatione *Marci Bandini*.

[4]) E bibliotheca Doria-Pamphiliana Venetiis deprompta copia musaei Bathyániani, Albae Juliae in Transsylvania. MS. Num. 97 Tom. I. p. 141.

[5]) Relationem hujus visitationis, cujus exemplum in ambrosiana Mediolani bibliotheca servatur, publicam in lucem edidit *Hurmuzaki* l. c. III. p. 545—551, num. CII.

[6]) Familia proinde plerumque 6,3 membra numerabat.

rum una lignea, S. Nicolao dicata, secunda vero lapidea, modernique principis beneficentia, plus quam quingentorum aureorum scutorum sumptu, noviter tecta. Vestimenta sacra pauca quidem, sed calices argentei, quorum illum in ecclesia majori *Joannis Baptista Amoroso*, principis thesaurarius donaverat, cujus nepos Romae, Graecorum in collegio, studiis operam navabat. Prima domus sacra proprie cathedralis erat dicenda, quum episcopi deserviret usui, qui tria proximae domus adjacentis, quae monasterium insimul erat, cubicula sibi habebat assignata.

Bajensis quoque civitas, quae sexaginta quatuor catholicarum familiarum — ad trecentas decem et sex animas — numerabat, duas habebat ecclesias e latere cocto structas, quarum una minabatur ruinam, altera formosa, sacris vasibus argenteis et ornamentis optime fuit provisa. Sacerdotes reperti sunt duo, pater *Laurentius*, ab *Arseghno*, pridem generali vicario, huc missus, cum uxore vitricis ecclesiae palam in adulterio vivens, et alter qui virginem in facie ecclesiae duxerat uxorem, cum qua tres infantes procreaverat, monitis autem episcopi cedens, mulierem manumisit.

Niamtz civitas, cum septuaginta quatuor catholicis familiis, animas complectentibus trecentas et tres, duas habebat omnibus necessariis provisas ligneas ecclesias, et sacerdotem, septuagenario majorem, natione Saxonem transsylvanum cum uxore suae fere viventem aetatis, qui similiter episcopi motus adhortationibus, promisit, nullum se cum illa consortium amplius habiturum.

Civitas *Totrus*, cum sexaginta et octo familiis catholicis, animabus autem trecentis nonaginta quatuor, natione Saxonibus et Hungaris, unam possidebat ecclesiam peramplam, et omnibus ad officium divinum digne celebrandum provisam, e lapidibus structam, ubi Hungarus *Joannes Bene* parochum agebat, qui licet uxoratus, et licet uxorem spernere recusaverit, ob sacerdotum defectum in officio remansit.

Husch cum septuaginta fidelium familiis et quadringentis triginta quinque fidelium animabus, ligneam omnibus satis provisam habuit ecclesiam. Parochus, *Joannes Transsylvanus*, ordinis olim S. Francisci fratrum strictioris observantiae, post subdiaconatum apostata factus, deinde conversus, diaconatum et presbyteratum suscepit. Quum autem et ille mulierem viduam, civitatis incolam, uxorem duxisset, et episcopalis adventus exorto rumore fuga sibi consuluisset, nec reversus esset, ob sacerdotum paucitatem ecclesia pastore vacabat.

Kotnar cum fidelium familiis centum nonaginta octo, mille octingentis autem animabus, tres habuit ecclesias muratas et unam ligneam, omnes bene provisas. Animarum curam gerebat *Daniel Transsylvanus*, qui in facie ecclesiae viduam duxit uxorem, et alius hic praesens sacerdos, qui tamen, quum in *Quirinii* manus jurassent,

se mulieres alio transmittere velle, nec amplius cum illis consortium habere, quod et scripto sunt testati, similiter sacerdotum ob defectum in officio remansere. Ludimagister loci *Petrus Elmon*, Transsylvanus, assecla Lutheri, quum errores haereseos suae solemniter abjurasset, loco suo similiter non est motus.

Qui fuerit sacerdotum in genere superbus animus et qui mores effreni, vel inde patet, *Stephanum* parochum *Soczaviensem* [1]) una cum capellano militiae Polonorum pedestris, et *Melchiore*, fratrum minorum conventualium religioso, sclopetis, gladiisque armatos in episcopi *Quirini* kotnarense diversorium irruisse, praepositi sibi cubiculum, nefandas jaculando blasphemias occupaturi, nisi praesul et compescuisset furentes, et ad sanius reduxisset consilium.

E Kothnarensi civitate profectus in *romanensem*, ibidem viginti quinque tantum reperit familias, partim Saxones, partim Hungaros, ad centum triginta capita, duas possidentes ecclesias ligneas, caeterum bene provisas, pastore tamen seu rectore carentes, quibus »non habendo meliorem« *Stephanum* Polonum praefecit.

Ni Quirini haec narraret, sequentia vix crederemus.

»In hac ecclesia« (romanensi) — dicit — »maximum e superstitione prosilientem abusum inveni. Hostia quae quotannis in vigilia festi sanctissimi corporis Christi consecratur, et cum qua per octavam festivus fieri solet ambitus, eadem octava finita, per sacerdotem in scatulam includitur et ecclesiae vitrici, laico, traditur, qui eam domum portat et cistae inclusam ad sequens corporis Christi festum asservat, ut eam saerdoti tradat, novam accepturus,« majorum exemplo devotionis causa.[2])«

Civitatis *Sabojani*, villarumque *Berendesti*, *Tomasiani*, *Lucani*, *Guidicani*, *Lugdani*, vicinarumque sacras aedes inspexit, et hoc inspetionis in itinere a malefactoribus impetitus, vitae periculum subiit.

---

[1]) Metropolita gr. rit. orient. *bucovinensis* in »Apologia« cujus in proemio fecimus mentionem, ut injustissimae qua catholicos prosequitur invidiae novum velut addat pondus, contendit, *ante occupationem austriacam in Buccovina nullos penitus catholicos fuisse*, nititurque perobscuri cujusdam auctoris, nomine *Budinski*, testimonio, quem caesareo-regium austriacum regimen infelicissimo casu, nam idiotam, elegerat, qui Buccovinae componat historicam et ethnographicam imaginem. Si catholici non fuerunt, cur *Soczaviae* parochus degebat, quae civitas ad Buccovinam pertinet? Sed audiemus, quae de *Soczavia Quirini* tradit. Cf sequent pag.

[2]) In questa Chiesa retrovai un grandissimo abuso et superstitione, l' ostia consegrata ogn'anno la vigilia della festa del santiss. Corpus Domini, sicome si suole, con laquale si fa la processione tutta l' ottava la matina et il Vespero, al fin del ottava, il Curato la dava dentro in uno scattolino economo della Chiesa, Laico et quello portava la in casa sua, et la teneva dentro in una casetta, per tutto l' anno, nel cui fine la reportava poi al Curato, qual assumendola li dava l'altra consecrata di nuovo et questo affermavano haver imperto per traditione delli loro antiqui, et che lo facevano *per devotione* etc.

Hi deprehensi capitis poenas dedissent, nisi vitam illis Quirini apud principem impetrasset.

Ultimam visitavit *Soczaviam*, triginta catholicorum familias, et animarum centum quinquaginta octo numerantem, praeter duo millia Polonorum et Hungarorum militum. Duas invenit ecclesias e lapide structas, omnibus necessariis provisas, in quarum una, beatissimae virginis honoribus dicata, princeps *Jeremias Mohila* majus altare reconstruxerat, superaddens casulas, stolas, manipulos, vestesque linteas.[1])

Aliam relationem, haud minus tristem dioeceseos suae statum exponens, de dato: »Jassiis 25 die mensis Aprilis 1602« cardinali de sancto Severino transmisit.[2]) Ecclesias dicit a *Tataris* vel spoliatas, vel profanatas, vel exustas; destinatos sacerdotibus reditus nullos, adeoque sacerdotes ipsos hanc in provinciam venire nolle, paucosque, qui fuerint, quum in Moldaviam venisset, uxoratos fuisse, poenarumque metu maximam ad partem in Transsylvaniam ad haereticos profugisse, vel etiam in ipsa Moldavia criminis apostasiae reos factos esse.

Princeps, ut summi pontificis die 28 Aprilis 1601 ad eum datae docent litterae,[3]) mitis animi, reique favens catholicae, Quirinium in omnibus, ubi saeculari potestate opus erat, juvabat, quo factum est, ut res catholicae meliorem indies caperent faciem et progressum. Vicarius etenim *Bernardini* Quirini generalis, *Hieronymus* ille *Arseghno*, quem superius nominatum Moldaviae legimus episcopum, litteris de dato »Jassiis 2 Maji 1602« cardinali *Cinthio* refert, quibus *Quirini* sit ornatus virtutibus et quo zelo suo fungatur officio.[4]) Laudat ejus doctrinam, in pastoratu dexteritatem, summam vitae probitatem et haereticorum corda permoventem eloquentiam, simulque deplorandam illius, qui nullo dioeceseos proventu fruatur, principisque solummodo gratuitis donis miseram ducat vitam, conqueritur sortem, et cardinalis apud summum pontificem interventionem eo fine peroptat, ut hujus largitate pauperum fidelium pauperi fidelique pastori, egestatis in angustiis versanti, subveniatur.

Interim et *Quirini* litteris de dato: »Jassiis 10 Maji 1602« *Clementem* VIII, Christi in terris vicarium adiit, rationem illi redditurus de facta per se conversione multorum *Tatarorum*, *Judaeorum* et *haereticorum*, qui praesertim ex Hungaria hanc in provinciam

---

[1]) Huc referenda muralis inscriptio, cujus *Teutschlaender* in: Historia communitatis evang. Bukuresti 1869 8. p. 7 facit mentionem, dum eam ad summum altare positam fuisse dicit: »Deo Ter Optimo Maximo, et Deiparae *virgini Mariae* hoc altare fieri fecit illustrissimus Princeps *Jeremias Mogila* in suam, totiusque prolis memoriam.«

[2]) E bibliotheca Doria-Pamphiliana Venetiis deprompta copia l. c. I. 139.

[3]) E biblioth. Doria-Pamfili Venetiis, in museao Bathyani Albae Carolinae in Transsylvania, Ms: »Daniel« XCVII. I. 141.

[4]) *Ibid.* p. 139.

immigraverant, et sanctissimi patris benignissimam subventionem non sibi solum, sed suis etiam ecclesiis implorat.[1])

Summus pontifex his enixis et animum afficientibus precibus commotus, tam ut sollicitudinem illius remuneretur, quam ut rebus illius jam ad extremum casum perductis consulat, die 6 Septembris 1602 certiorem eum facit, curam ecclesiarum catholicarum per *archiepiscopum leopoliensem* habendam, Poloniae regi commendasse.[2]) Haec pontificis apud Poloniae regem intercessio non statim optatos et uberes protulit fructus; attamen ut e *Quirinii* relatione de dioeceseos suae statu, cardinali *Cinthio* die 1ª mensis Julii 1603, e Soczavia facta, liquet,[3]) provisionem illi saltem adtulit, et ecclesiae Argensis in Valachia funditus eversae loco, consecratam sub invocatione beatissimae Mariae virginis ecclesiam Baccoviensem et baccoviensem episcopatum,[4]) unde titulum abshinc et argiensis episcopi retinuit.

Itaque baccoviensium episcoporum numero necesse est ut addatur:

IX. Bernardinus Quirini, merito se deinceps episcopum argiensem et baccoviensem per Moldaviam et Valachiam semper scribentem, quod eo majori faciebat jure, quum ipse pontifex maximus *Bernardino* conquerenti, *Valerianum Lubieniecki*, monasterii baccoviensis guardianum, spiritualem episcopi juridictionem turbare,[5]) brevi suo de dato: »Romae 14 Augusti 1604« praeter alia — consolationis causa — commemoret: »Tua de sede Baccoviensi te dejecit nemo; eam volumus Tuam esse, speramusque, principem Moldaviae daturum operam, Tibi ne quis facessat negotium.«[6])

Et haec verba *Clemens* VIII spiritu velut afflatus prophetico protulerat.

Nam 1603, e Soczavia 1ª Julii datis ad cardinalem *Cinthium* litteris *Quirini* conquestus est,[7]) *Valerianum Lubieniecki* non solum causas spirituales in saeculari foro — non sine magno fidelium scandalo — movisse, sed et vita sua dissoluta baccoviensis monasterii bona dilapidasse, clericosque, suspensionis vinculo nodatos, absolvisse,[8]) et insuper apostasiae sacerdotum autorem fuisse,[9]) suspensumque Soczaviae divina celebrasse.[10])

---

[1]) *Ibid.* p. 101.

[2]) *Ibid.*

[3]) *Ibid.* p. 103.

[4]) Moldaviae rerum gestarum scriptores omnes hanc episcopatus baccoviensis restitutionem ponunt ad annum 1601 et nonnulli eorum penitus novam et primam veluti sedis erectionem vocant. Hac in ultima assertione sequuntur hungaricos scriptores, quorum unus et alter idem asserit, ut *Szentivanyi* in Miscell. Dec. III. Part. I. p. 60. *Bombardus* in typographia Hung. p. 65, et alii.

[5]) E bibl. Dor. Pamf. in musaeo Bathyani l. c. p. 107.

[6]) *Ibid.* p. 127.

[7]) *Ibid.* p. 131.

[8]) *Ibid.* p. 141.

[9]) *Ibid.* p. 107.

[10]) *Ibid.* p. 131.

Lubieniecki, quem ubique perversissimi spiritus hominem legimus, quum inter sacerdotes illius temporis perfacile sui similes invenisset, adversus *Quirinium* opera levi nonnullos eorum excitavit. Et eo modo quatuor parochi, *Stephanus* videlicet *Balthazaris*, soczaviensis, *Laurentius Demuth*, kotnariensis, *Jacobus Saxo* baniensis et alter quidam *Stephanus* libello suo de dato: Jassiis 30 die mensis Martii 1604« calumniis episcopum apud summum pontificem petierunt.

Hujus libelli seu querelae puncta fuerunt: *Quirinium* apud principem non intercedere, ne sacerdotibus curru sacro viatico graviter decumbentes visitantibus a principis vel magnatum tabellariis equi subducantur; illum vini decimas, quas ad Polonorum intercessionem, princeps ecclesiis concesserat, in proprium usum convertere; illum pontificalius indutum schismaticorum sacris interesse, quapropter timendum sit, multos, nullum inter romano-catholicam et graeci ritus orientalis ecclesiam discrimen subesse ratos, *haereseos dogmata* professuros; illum sacerdotes ad jus episcoporum schismaticorum vocare, vesteque clericali deposita, saecularisque hominis induduta sibi figura, in arce Soczaviensi thesauros fodisse. Petebant itaque, ut leopoliensis archiepiscopus *Solikowski*, vel camenecensis *Paulus Wolucki*, Quirinio deposito, dioeceseos curam agant.[1])

Haec edoctus *Quirini*, vicarium suum generalem *Hieronymum Arseghno* Romam mittere statuit, ut apud summum pontificem, ocularis omnium testis, haec perversorum hominum obtrectamenta diluat.

Jeremias, Moldaviae princeps, quem — ut superius diximus *Clemens VIII* litteris de dato: »Romae 28 Aprilis 1601« defendendae, promovendaeque rei catholicae muneris memorem esse monuerat, de consilio hoc episcopi *Quirini* certior factus, non solum vicarium generalem legitimatoriis et commendatoriis episcopi litteris de dato: »Jassiis 27 Junii 1604« provisum,[2]) suis, episcopum *Quirinium* collaudantibus et »e castris ad Jassios die 12 Julii 1604« datis instruit litteris, verum etiam testatur, se, habita suae sanctitatis commendationis ratione, provisionem, quamvis parvam, turbido praesenti tempore, dubioque proventu aerarii publici, facultatibus tamen suis correspondentem, episcopo singulos in annos assignasse.[3])

Strenuum sui defensorem tam in principe, quam in propriis de re catholica meritis *Quirini* nactus erat, et vicarius illius generalis optimum Romae se manifestavit advocatum. Inde siquidem rediens, breve secum adtulit *Clementis VIII*, de dato: »Romae 4 die Novembris 1604,« quo summus pontifex argensis et baccoviensis episcopi pastoralem vigilantiam multo sermone merito prosequitur, et illum sequenti demum consolatione novos animos capere jubet: »*Tu in* optima Deo serviendi voluntate persiste, nec Te sinas a proposito

[1]) *Ibidem* et p. 141.
[2]) *Ibid.* p. 123.
[3]) *Ibid.* p. 143.

demoveri humanis adversitatibus, quae christianam probant virtutem, ac perficiunt.[1])«

Hae tamen adversitates, quas pontifex non obscure cogitationibus assequebatur suis, et verbis plane significabat apertis, episcopum ideo non amplius manebant, quia vel exeunte anno 1605 vel ineunte 1606, sublatus erat e vivis.

Exstant nimirum *Hieronymi*, vicarii generalis, ad cardinalem *Cinthium* directae litterae, de dato: »Moldavia 18 Februarii 1606,« quibus »*post mortem episcopi Quirini*« precatur, ut sibi, qui per annos viginti quinque non modico sudore laborasset in animarum salute, cuique terrae princeps *Jeremias Mohila*, dummodo fiat episcopus, quingentorum florenorum proventum, annuatim pendendum, promiserat, episcopalis conferatur dignitas.[2])

Et reipsa

X. Hieronymus Arseghno Bernardino *Quirini* successit.

De tempore, quo baccoviensem occupaverit sedem, non constat. Multa tamen et non dubia perhibent testimonia, baccoviensis episcopatus dignitatem post *Quirinium* immediate ad illum devenisse.[3])

Monumenta hujus temporis publica docent, eum virum fuisse pietatis insignis, integerrimae vitae, rebus in publicis versatissimum,

---

[1]) *Ibid.* p. 129.

[2]) Nullibi fit mentio, *Bernardinum Quirini*, cujus in Moldavia vita continuum erat martyrium, inter Tataros — ut nonnullis placet — martyrii palmam adeptum fuisse. Quin imo relatio, quam *Marcus Bandini*, quum visitatoris apostolici munere fungens, in Moldavia moraretur, — e testimonio senum, qui octogenarii, Bernardinum episcopum noverant, illiusque optime meminerant, — de praeteriti temporis rebus congesserat et Romam transmiserat, distincte docet, *Bernardinum Quirini* Romae, quo se — renuntiato forsan episcopatu moldaviensi, patriam repetiturus — contulerat, diem clausisse supremum. Quum autem publica nos lateant documenta, quorum fide ducti, ultimos *Quirini* vitae dies nobis collustrare liceat, specialia non adduximus, sed factis postliminibus putavimus supersedendum esse. Caeterum principis Mohilae litterae, de quibus superius sermo seritur, et quarum copiam e bibliotheca Doria-Pamfiliana deprromptam musaeum Batthyaneum Albae Carolinae in Transsylvania I. p. 127 MS. asservat, clare demonstrant, *Arseghnum* 1605 — ut omnes volunt — baccoviensem episcopum nec fuisse, nec esse potuisse.

[3]) E relatione *Bandini*. — Ephemerides »Concordia,« lingua rumuna scriptae, numero 95 p. 349 anni IV in diem 29 Novembris 1864, in articulo: »Memoriale reunurii catolice din Jassi« contendunt, eum 16 die mensis Septembris anno 1607 a *Constantino Mohila*, terrae principe, vocatum in Moldaviam et nominatum fuisse. Vocatione tamen prorsus non erat opus, quum a multis jam annis *Baccoviae* degeret, insuper autem anno 1607 princeps *Jeremias*, hic adducti Constantini *pater* adhuc in vivis esset, quo mortuo — 1608 — non Constantinus filius, sed *Simeon* frater, itaque Constantini patruelis principatum obtinuit. Itaque non solum tempus, verum etiam rerum gestarum circumstantiae, quas adduximus, penitus aliae sunt, quam ut dici possit, eum a principe Constantino vocatum et episcopum nominatum fuisse. Jeremiae principi notissimus, facillime, vel etiam omni ambitu prorssus remoto, dignissimus censeri potuit, qui vacuam post Quirinium sedem obtineat.

ac educandae praesertim juventutis perquam studiosum. Authoritatis apud omnes quum esset maximae, parsimonia delectabatur honesta, pecuniam autem hoc modo partam, in restaurandum baccoviense monasterium et in decorem domus Dei convertebat Brevi tamen, triennio scilicet post sedem adeptam, absumptus dicitur. Eum subsequitur:

XI Valerianus Lubieniecki, qui — pridem guardianus fratrum strictioris observantiae baccoviensium, communi coaevorum sententia, dignitatem episcopalem polonorum in Moldaviae principis aula versantium magnatum favoribus adeptus est.[1]) Neminem siquidem latet, *Jeremiam Mohilam*, hujus terrae dominum, juvantibus eum polonis proceribus, praesertim regni cancellario *Zamojski*,[2]) fuisse consequutum, indeque factum, ut plures eorum in aula versarentur.

Proverbium illud: »Honores mutant mores« in Lubienieckio splendidissime probatum fuisse videtur. Episcopus enim factus, repente mutatus est in alium. Severus aliorum et sui judex, indefessa, veraque pastorali vigilantia sibimet notissimis medebatur malis, operarios amovendo segnes aut dissolutos, alliciendo probos et animarum zelo flagrantes, tepidos autem exemplo proprio concitando, tempore licet saevissimis interdum agitato procellis,[3]) effecit, ut res per Moldaviam catholica tam faustum nacta sit progressum, ut illius memoria posterum in mentibus indelebilis haereret.

Juvabatur autem in Dei cultu promovendo, curaque fidelium animarum augenda, sacerdotum omni laude majorum auxilio, qui Christi sequentes exemplum, singularum parochialium ecclesiarum rectores quum essent, omnibus omnia facti sunt.

---

[1]) *Melchisedek* in citato saepius libello p. 22. hunc *Lubienieckium* confundit cum accatholico »*Luzinski*,« Joannis Heraclidae Despotae diebus — 1561. — vocat eum »*Liubcenie*,« multaque de Polonorum auxilio Despotae ad principatum lato, rem suam falsissimam probaturus, affert, quum tamen constet, primam Despotae in Moldaviam irruptionem a Polonis irritam factam fuisse, secundam autem non Polonorum sed *Hieronymi Laskii* palatini *scepusiensis* ope finem assequutam fuisse peroptatum.

[2]) Hac de causa vituperat eum Clemens VIII — non autem anathematizat, ut *Melchisedek* vult — litteris de dato: »Romae die 8 mensis Novembris 1595 Cf. Cod. Wallic. Litterarum,« num. 34. p. 521. — Procul omni dubio summus pontifex favebat *Wolfgangi*, nepotis *Petri* vojvodae intentionibus, qui tunc temporis, avi recuperaturus provinciam, omnem ut dicunt movebat lapidem, et ipsi summo pontifici spoponderat, unionem schismaticorum cum ecclesia romana se promoturum. Cf. *Papiu Ilariau* »Monum.« etc. (*Tesauru*) III. passim.

[3]) Huc referenda: 1° Tatarorum incursus, qui totam a *Berlad* ad *Roman* inundaverunt terram, hominum et pecorum praedam agentes. *Bielowksi*: »Scripta Stanislai Zolkiewski« Leopoli 1861. 8. p. 490 sq. num 45. — 2°: Militum caesareorum adversus *Bathorium* per Moldaviam transitus, qui pessulis ad Bakoviam constructis, perruptis, flumen *Bistritiam* transeundo, Siculiae terram petiere; et aliae, quae principum sequebantur mutationes. Cf. *Hurmuzaki*: »Monum. IV. 4. p. 453. num. CCCLXXXI.

Hos inter, ut vel unum e plurimis adducamus exemplum, sancti Francisci strictioris observantiae religiosus, *Ambrosius Kecskemeti* eminet, qui quadriennio tantummodo — 1614—1618 — parochus bajensis, dies noctesque laborabat indefessus, ut illa charitate religiosa, quae, dum irae nescia cunctorum quae patitur obliviscitur, et ideo proximorum corda sibi devincit, speciali suae curae commissos certiores faciat, se vitam illis dedicasse suam.

Sic pater *Ambrosius*, dum fidelium suorum mentes a vitiorum purgat zyzania, sementumque virtutis efficax illis concredit, pastoralique hilari vultu semper satisfacit officio, tantam apud populum bajensem animi devincti gratitudinem sibi cumulavit, ut quum deploratus ab omnibus mortalium naturae, communae cunctis, praestitisset tributum, tumulus ejus lapideo, sumptibus publicis posito, defunctique de grege suo testante merita, posterum in memoriam ornaretur monimento.[1])

Ipse *Valerianus* episcopus, quum flagrantissimis precibus a sacra sede romana pecuniariam efflagitasset subventionem, non solum baccoviense reconstruxit monasterium, sed amplam quoque domum sibi successoribusque suis in episcopalem residentiam aedificavit, et ecclesiam cathedralem, lautis insuper fautorum suorum ditatus muneribus, duodecim casulis, duobus pluvialibus sericeis, tribus calicibus argenteis unacum patenis, argenteis quoque monstrantia seu ostensorio, ciborio, thuribuloque, nec non episcopalibus ornamentis, infula videlicet, et ex auro argentoque conflato pastorali pedo donavit.[2])

Altissimi domum ornans, oviumque sibi summissarum saluti prospiciens a magnatibus in propinquam Poloniam quoque ad majoris momenti res divinas peragendas comiter invitabatur. Sic marmorearum in internam ecclesiae parietem immissarum tabularum testimonio, nonnulla in *Drohobycz* et *Zarzyc* altaria consecravit,[3]) et alia solemnia celebrabat.[4]) Quum tamen in sacerdotes nonnullos, religiosos suos baccoviensis monasterii fratres, perquam severe consuleret, a suis clam sibi porrecto tollitur veneno.[5])

[1]) E relatione Marci Bandini, qui sequentem subjungit monumenti descriptionem: »1618 monumento incisi lapidis quadrato tale epitaphium Bajensis Populus inscripsit: »MDCXVIII. Ambrosius Kecskemeti — Magnus Pater — Atque Sacerdos, Divi Francisci Religiosus — Erat Mansuetus, Pius, Mitis, Prudens Fuit Ipse — Ingenita Divis Vixit Bonitate« — »Haec in margine lapidis, quae ambiunt hujusmodi insigne: Sculptus Pater Ambrosius in habitu Sancti Francisci, Dextra crucem erectam tenet, sinistra regularum libellum, quo populus testatur, eum crucis amatorem et suarum regularum observatorem vixisse.«

[2]) Bandinii relatio.

[3]) Cf. Schematis. Cleri r. l. dioec. premisliensis Jaslo 1875. 8. p. 68 et 152.

[4]) Cf. *Waszniewski* l. c. p. 273. in nota.

[5]) E superius et saepius citata relatione Bandinii. Nescitur cur — si non obliterandae rei causa — *Okolski* in »Russia florida« I. p. 107. Valerianum Lubieniecki Turcarum in captivitate mortuum fingat, quum ejus veneno causatam mor-

Moriens ecclesiastica bona, quae pecuniis paraverat erogatis, testamenti tabulis constructis, populi sui fideli curae commisit.

Illum 1618, mense Novembri, sequitur.[1])

XII. Adamus Goski Polonus, ordinis sancti Francisci fratrum minorum conventualium, quos inter optimam sui memoriam reliquit. Non solum etenim fratrum suorum spiritualium consonis votis, imposito sibi guardiani, praepositique ministri provincialis officio laudabiliter fungebatur, sed custos insuper quum esset in conventu sanctae crucis leopoliensi, simulque morum integritate, doctrinae splendore, dicendique facultate summi ponderis apud omnes gauderet authoritate, principis *Joannis Korybut Wisnowiecki*, castellani cracoviensis, beneficum impulit animum, ut sumptibus suis alterum fratribus *Leopoli* monasterium, una cum ecclesia, sancti Antonii honoribus dicata, illi superstrueret loco, quem ipse Adamus Goski anno 1617 precibus enixis a leopoliensi magistratu pertinacius efflagitaverat.[2])

Quum *Wisnowieckiorum* familia non solum cum plurimis Poloniae procerum, verum etiam cum *Mohilana*, Moldaviae principis familiis colligata fuisset,[3]) vix dibitari potest, illam Adamum haud parum adjuvasse, qui baccoviensem obtinuerit sedem.

Spes autem, si quae concepta fuerat, illum, ad episcopalem dignitatem evectum, in Moldavia quoque rem catholicam ut hucusquę rem ordinis sui fideliumque salutem promoverat, ad magis indies incrementum perducturum, omnes fefellit.

Non illi tamen hoc vitio vertendum, qui summo non deerat officiorum studio.

Nam Poloni, qui, vel invito rege suo, Mohilanae stirpi Moldaviae regimen proprio Marte vindicaverant, patriam repetere coacti,[4])

---

tem testes comprobaverint, quorum testimonii *Bandini* dissertam facit mentionem. Moldavici, polonique rerum gestarum scriptores omnes *Okolskii* repetunt fabulam, quae vel ideo veritate caret omni, quia Turcae, qui *Lubienieckii* tempore bello quidem cum Moldavis et Valachis erant impliciti, magis de Moldaviae Valachiaeque principatibus recuperandis et retinendis cogitabant, quam de depraedandis, quippe quum illis in Hungariam essent via, simulque Constantinopoleos et exercituum penu dicerentur.

[1]) Relatio Bandinii.

[2]) Geographia Galiciae Premisliae 1786 — polon. — ad vocem »Leopolis.« Locus ille suburbii Glinianiensis dicti pars erat.

[3]) *Michael Korybut Wisznowiecki*, capitaneus obruczensis, uxorem duxit *Reginam*, Moldaviae principis *Jeremiae Mohila* filiam, e qua natus *Jeremias Korybut Wisznowiecki*, qui cum uxore *Griseldi Zamojski* procreavit *Michaelem*, Poloniae regem, matrimonio junctum cum *Eleonora*, sorore Leopoldi I Romanorum imperatoris.

[4]) Cf. »Volumina legum regni Poloniae« Varsovie fol. 1735 Tom. III p. 323. Sigismundus III, Poloniae rex in universali solemnique cunctorum ordinum regni Poloniae congregatione, Varsoviae 1618 celebrata, constitutum illud approbat, quod art. III denuo cuilibet injusso violentam in Moldaviam irruptionem sub infamiae, confiscationisque bonorum poena prohibebat.

nec episcopum, nec fideles amplius fortibus et victricibus tuebantur armis, et quum exsurgentium studia partium, inter sese factiose dissedentia accederent, *Turcarum* insuper, *Tatarorumque* crudelis et cruenta sequeretur interventio, nemo mirabitur, rem in Moldavia catholicam adversitatibus indies majoribus opressam fuisse.

Ubi scilicet inprimis *Tatarorum* truculenta saevitia pedem fixerat, timidae dispersionis redierunt tempora, redierunt et ecclesiarum sacrilegae profanationes, praetiosioris illarum suppelectilis rapina, lasciva tectorum exustio, captorum insontium caedes, et omnia quae naturae hominum aliena crudelitas non solum in vivis, verum etiam in mortuis exercere solet dirissima crimina.

Verum quidem est, *Gasparem Gratiani*, qui Mohilarum haeredibus et eorum aemulis debellatis et pulsis, a caesareo Constantinopoli nuntio commendatus, ineunte mense Februario 1619 Moldaviae principatum obtinuerat,[1]) rei catholicae sincere favisse, sed justo maturius manifestato Turcarum jugi decutiendi consilio, Poloniaeque copiis auxiliantibus, sub heroe celeberrimo *Stanislao Zolkiewski* deplorandum in modum *ad Cecoram* caesis,[2]) ipse quoque *Gratiani* fuga sibi consuluit, in qua vitam amisit. Et qui principem hunc sequutus est, *Alexander* »*Eliae* filius« dictus, de componenda pace sollicitus quidem erat, sed quum ab omni humanitate remota tyrannide cuncta gravi dominatu premeret, novum disturbiis, dominantibusque mutationibus fomentum praebuit, adeo, ut toto quo *Goski* dignitatem episcopalem amplectebatur tempore, nec certa pax, nec placida quies, nec curae libertas hominum levaret animum.

Eapropter etiam nemo mirabitur, episcopum, peracta primis officii sui temporibus dioeceseos visitatione, patriam repetiisse.

Illis diebus non solum praetiosa baccoviensis ecclesiae perierunt ornamenta, sed bona simul terrestria, quorum reditus praesulis mensae deserviebant, funditus dilapidata sunt. Et quum insuper terrae principis restagnaret subventio, summa dehinc omnes baccovienses episcopi laborabant penuria.[3])

---

[1]) *Khevenhüller*: »Annales Ferdinandei« Pars IX p. 715 ad ann. 1619 — germ. —

[2]) *Bielowski*: »Scripta Stanisl. Zolkiewski« Leopoli 1861. 8. *Zurkowski*: »Vita Thomae Zamojski Leopoli 180. 8. — pol. — ubi p. 59—61 num. IX Abrahamus quidam *Zlotopolski* litteras e Trembowla 25 die mensis Octobris 1620 cuidam *Makowski* hanc describit moestissimam cladem, ut et *ibid.* p. 54—59 relationem cujusdam equitum magistri *Thomae Zamojski* transmissam.

[3]) E relatione *Marci Bandini*. Non alienum a re videtur commemorare, *Marcum Bandinium* — dum in relatione sua redituum episcopalium gravis jacturae causam seu culpam dissertis in *Adamum* episcopum transfert verbis, et polonis episcopis luporum nomen a plebe inuri tradit: »(verbo . . . uno, ipsa povincia, principes et barones non alio nisi lupi nomine dictos Polonos vocitant)« rei — genuinam nequaquam investigasse rationem vel naturam. Facile quidem Poloni, qui Mohilanis et subsequis temporibus armata manu sese vel ingerebant in Moldaviae res publicas, vel Turcarum, Tatarorumque, fines obsidentes, reprimebant

Quo tamen *Adamus Goski* tempore quove loco suam creatori reddiderit animam, incertum est. Constat autem sequutum fuisse.

XIII. Andream Bogoslowicz, natione Dalmatam, qui tamen, parvam ob dotem episcopalem, suam resignavit dignitatem et in patriam est reversus.[1]) Forsitan et hospitem in Moldaviae terra, nationis insuper penitus exterae, rudemque rebus in provinciae publicis, abhorrentem insuper continuum, qui animarum saluti promovendae plurimum oberat, armorum strepitum, difficultates, ad quas paccatioribus etiam temporibus feliciter superandas fortis, ad omnia paratus animus, inexhausta laborum patientia, perdurans in Domino spes et illae requirebantur dotes, quae virum altioris vocationis sibi conscium decent et ornant et evehunt, absterruerunt.

Ab eo tempore mos invaluit, ut sede vacante, vel episcopo non praesente, baccoviensi monasterio propositus vicarii generalis munus obiret.

In Andreae Bogostowicz locum anno 1624 successit:

XIV. Gabriel Fredro,[2]) stemmatis *Boncza*, Polonus, ordinis sancti Francisci strictioris observantiae religiosus, qui totum quo baccoviensi fungebatur episcopatu tempus, inter oves suas, animam etiam pro illis positurus transegit. Non eum publicus Moldaviae status vacillans, neque fidelium et propria, licet episcopi, paupertas inducere poterant, ut iis, quae suarum, utpote boni pastoris essent partium, sese denegaret. Christi miles erat strenuus, fortis et interritus, qui primis quoque catholicae fidei saeculis quamcunque sedem episcopalem decorasset. Mirum itaque non est, illius sub auspiciis et vigilantia pro virili resarcita fuisse damna, quae temporis injuria magis forte quam praedecessorum incuria, vel aliqua segnis ignavia rebus omnibus intulerat.

Praesertim fidelium solatio primas debere partes perspexit.

Huic proposito quo facilius efficatiusque vires accommodaret suas, summum pontificem *Urbanum* VIII precibus est agressus, ut de linguarum peritis, ordinis praesertim *Praedicatorum* sacerdotibus in Moldavia provideat. Beatissimus igitur pater, petenti statisfacturus, brevi de dato: »Romae 30 die mensis Aprilis 1627« missioni moldavicae praefecto, cujus nomen reticet, vicario videlicet episcopi generali, praesulis absentis vel impediti vices gerenti, strictissimis dedit in mandatis, ut religiosi Praedicatorum ordinis in omnibus in *Russia,* sive in orientali modernae *Galitiae* parte domi-

---

hostiles copias, partibus de principatu contendentibus et plebi, continuarum belli calamitatum causa videri et odium commune in se convertere poterant, quin exinde conjicere liceat, baccovienses episcopos, qui ob parcam sustentationem alioquin maximam ad partem in Polonia degebant, oves suas deglubisse.

[1]) *Ibidem.*

[2]) Persaepe *Nicolaum* eum vocant rerum gestarum scriptores, perperam tamen.

bus, armenae, valachicae, tataricaeque linguarum studio diligenter incumbant, simulque concessit, ut per Moldaviae terram in missione occupati sacerdotes, in locis, ubicunque recursus ad parochum haberi non posset, animarum in cura parochorum facultatibus et privilegiis perfruantur. [1])

Quoad aliorum religiosorum ordinum sacerdotes idoneos vel investigandos vel educandos, *P. Ghisa*, provincialis minister provinciae sancti Antonii, fratrum minorum conventualium in Polonia, protunc nominatus commissarius rebus in monasticis generalis per Hungariam, Moldaviam et Valachiam, suam quoque promissit operam,[2]) quin compertum sit, quo tandem effectu.

Non gavisus est episcopus Gabriel peroptato solertiae suae fructu. Brevi nimirum excessit e vivis et anno 1630 successor illi datus:

XV. Joannes Baptista Zamojski, stemmatis »*Jelita*« Praedicatorum ordinis religiosus, [3]) qui castellani chelmensis erat filius, praeclaramque nobilis prosapiae suae famam proprio virtutum auxit splendore.

Theologiae primum in ordinis instituto domestico doctor, postmodum cracoviensi praepositus monasterio, non singulari doctrina solum, verum etiam ea qua cuncta gubernabat et moderabatur prudentia, quolibet momento cunctorum in se convertebat oculos. Facundus insuper, ut neminem sibi parem haberet, vita polonicae gentis procerum excultus et expolitus, Poloniae regis voto baccoviensis creatur episcopus.

Moldavicam linguam quum optime calleret, non solum in dioeceseos visitatione populum usitato sermonis genere sibi devinciebat, verum etiam docti sibi vindicans operam viri, sacerdotum illorum in usum, qui linguae moldavicae fuerint ignari comperti, hujus linguae grammatices praecepta continentem edidit librum, quin imo, commiserationis illius spiritu ductus, quae proximi salutem non vitae solum exemplo, vel vivae vocis oraculo, sed saecula perdurantibus juvat scriptis, ipse moldavico sermone concinnatam romano-catholicae fidei institutionem, seu sic dictum »catechismum« composuit et typis mandavit. Huic libello vel ipsi graeci ritus orientalis asseclae, posteris

---

[1]) Bullarium ord. Praedicatorum. Tom. VI. p. 50.

[2]) *Bartuszewicz*: Acta capituli provinciae sancti Antonii, anno 1627 celebrati.« Tom. III.

[3]) *Bandinii* relatio dum de *Zamojskio* loquitur, disserte dicit, eum anno 1630 nominatum, et eodem anno in Moldavia quoque fuisse. Senes autem, quorum anno 1646 *Bandini* requisierat testimonia, tempore, quo *Zamojski* venerat in Moldaviam, sedecim tantummodo juniores erant annis, proinde supra quinquaginta vel sexaginta annos nati, probe quoque — procul omni dubio — norant, quando *Zamojski* venerat. Haec eo fine commemoramus, ut manifestum fiat, illos errare, qui *Zamojskium* anno 1633 baccoviensem episcopum renuntiatum fuisse contendunt.

quoque temporibus, ad exitum usque prioris saeculi, diligenter illud pervolventes, praestantiae palmam deferebant. [1])

Sic, licet maximam ad partem in Poloniae regno moraretur, vel absens ovicularum suarum necessitatibus pro circumstantiarum ratione consulebat.

Ecclesias utique, cathedralem et parochiales, prioribus rerum publicarum calamitatibus depraedatas, vel destructas aut dirutas, parvis et vilibus pecuniarum, quas cum episcopatu nactus erat, subsidiis e ruina levare, vel resarcire vel dotare non poterat. Inde factum est, ut *Urbanus VIII*, pontifex maximus, bulla de dato: »Romae, die mensis 17 Martii 1633,« sacerdotibus in moldavicis missionibus occupatis, portatilis altaris usum non tam concederet, quam approbaret. [2])

Eodem anno baccoviensis hic episcopus collegiatam in Zamosc ecclesiam, honoribus sancti Thomae dicatam, magna pompa consecravit. [3]) Rara sane festivitas in urbe gentilitia, quae celebri Zamojsciorum nomini dederat originem.

Interim anno 1642 Moldaviae princeps *Basilius »Lupul«* dictus, qui commemoratur apud sanctissimum patrem conquestus fuisse, baccoviensem episcopum non inter limites dioeceseos suae residere, [4]) graeci ritus orientalis metropolitae, suffraganeorumque illius episcoporum cedens precibus, generalem orientalis ecclesiae synodum Jassios jubet convocari, quae fidem orthodoxam ab illis erroribus purgaret, quibus pullulans sub Transsylvaniae principe *Georgio Rakoczy* calvinismi haeresis, Moldavos quoque vel ideo corruperat, quia sacras veteris et novi testamenti paginas, valachico quidem, itaque moldavico quoque idiomate, sed ab interpretum septuaginta textu plane diversa mente, Transsylvaniae typographi populo valachico venumdabant, qui publicationes hujusmodi vicinis quoque Moldavis communicabat. [5])

In ancipiti sanioris mentis nemo versabatur, hoc modo calvinismi propagationem intendi. Dogmatum igitur corruptionis flagranti periculo suis ab incolis, graeci ritus orientalis, feliciter averso, Moldaviae princeps, qui propriis, anno sequenti sine dato scriptis e Jassiis litteris, populo suo *Barlaami* metropolitae lingua valachica compositum opus, »librum« scilicet »instructionum in dies dominicas« [6])

---

[1]) *Zachariasiewicz*: »Vitae Episcoporum Premysliensium ritus latini.« Viennae 1844. 8.

[2]) *Sadok Baracz* l. c. I. p. 389 nota 423.

[3]) *Idem* ibid. II. p. 59.

[4]) Cf. Ephemerid. polon. Czernovicenses anni 1884. num. 51.

[5]) Cf. *Kühnel*: »Libri symbolici eccles. orientalis« Jenae 1843. 8. p. 408. „Πρακτικὰ τῆς εν Γιασίῳ συνόδου“ et congregatorum ad hanc synodum legatorum: 'Επιστολὴ τῷ εκλαμπροτάτῳ καὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ Δουκι θεοσεβεστάτῳ αὐθέντῃ καὶ ἡγεμονι πασης Μολδοβλαχίας, κυρίῳ 'Ιοαννῃ Βασιλείῳ Βοϊβονδα« p. 418.

[6]) Hic omnium librorum lingua val. editorum primus, impressus erat Jassiis 1643. fol. min, hodie rarissimus.

commendaverat, [1]) fidei quoque romano-catholicae res ecclesiasticas eo magis justum et firmum in ordinem est aggressus redigere, quominus probari poterat, non solum baccoviensem episcopum a Poloniae rege, terrae scilicet alienae domino praesentari, [2]) verum etiam in Polonia, dioeceseos extra fines, extra principatus Moldaviae limites, maximam ad partem residere. Hujus autem negotii compositio quum Poloniae regem inter et Moldaviae principis aulam aequis conditionibus non pacisceretur, sub summi pontificis judicium res defertur. Hic priorum principis litterarum non immemor, et forte transactionum Poloniae regem inter et Moldaviae principem ipse primus auctor, antequam litem exortam definitiva sententia dirimeret, jussisse legitur, ut episcopi baccovienses certum ad tempus constantinopolitano subsint vicariatui, quo *Franciscus a Stafile*, sancti Francisci fratrum minorum conventualium ordinis religiosus fungebatur. [3]) Hac de causa re sese longius protrahente, factum est, ut nec episcopus, nec aliis distentus laboribus *constantinopolitanus vicarius* baccoviensem dioecesim visitarent. Quum insuper et *leopoliensis* et *camenecensis* ecclesiarum *praesules* de baccoviensis episcopatus jurisdictione inter se contenderent, et *Joannes Baptista Zamojski*, rebus ita se habentibus, vel ob ipsas rationes publicas, episcopali munere suo fungi non posset, illius in rem catholicam et patriae rempublicam remuneraturus merita, Poloniae rex episcopalem premisliensem illi contulit cathedram, quam, nominis sui gloria longe lateque celebratus, laetis omnium acclamationibus 21 die mensis Februarii 1650 occupavit. [4]) Quadriennio post — 1654 — luceoriensem ad episcopatum evectus, in itinere eo suscepto — 1ª Januarii 1655 moritur. et in Zamosc, urbe gentilitia solemni pompa tumulatur. [5])

---

[1]) Hae principis litterae proemium sunt libri.

[2]) Rerum gestarum periti probe sciunt, Poloniae reges et Poloniae rem publicam, licet Moldaviae principes homagium illis praestarent, a Moldavia nil aliud unquam nactos fuisse, praeterquam temporibus deserviens obsequium commune. Moldavi semper perhorrescebant Polonos in Moldaviae terra summam imperii tenere velle, cujus indicium et episcoporum illis videbatur nominatio. Longaevus autem usus, quem et summi pontifices ratum, gratum et acceptum habebant, et Poloniae regibus incumbens officium moldavicorum catholicorum patronum agere, hanc baccoviensium a Poloniae regibus nominationem secum tulerat, et ad sera tempora quilibet in contrarium conatus ad irritum accidit.

[3]) *Wasniewski* l. c. p. 270 et elii.

[4]) Ex annalib. domest. monast. Jaroslaviensis.

[5]) *Przylecki* in: »Memorabilia familiae Koniecpolski« Leopol. 1842. 8 — polon — p. 292 sq. dicit episcopum Zamojski 30 Aprilis 1640 in funere cracoviensis castellani, supremique belli ducis *Stanislai Koniecpolski*, cancellarii Lithvaniae *Adalbierti Stanslai Radziwill* vices gessisse et sequenti die funerum celebrasse solemnia. Alii alia summae qua gaudebat auctoritatis et aestimationis publicae tradunt documenta. Non abs re nobis itaque visum, epitaphium adducere, quod hujus praesulis dignissimi tumulo fuit impositum: »Hospes! Ecce, Qui Fuit, Non Est. Joannes Baptista Zamojscius, Non Genere Magis Quam Virtutum Et Doctrinae Luce Clarus, Primum Familiae Dominicanae Professus,

Dum haec agebantur. *Petrus Manero,* minister Franciscanorum generalis, litteris suis de dato: Romae . . . Junii 1651 baccoviense monasterium ad omne tempus custodiae Transsylvaniae subjectum pronuntiavit, [1]) ne districtum baccoviensem maximam ad partem inhabitantibus hungaricis et siculicis colonis animarum pastores unquam desint. Et haec dispositio verisimillime fructus fuit unicus illius *Urbani VIII* praecepti de sacerdotibus plurium linguarum peritis in Moldaviam mittendis.

Ut autem et reliquorum Moldaviae catholicorum spiritualibus provideatur necessitatibus, summus pontifex anno 1646 edixit ut

Marcus Bandini qua visitator apostolicus

in Moldaviam proficiscatur, Marcionopolitani partium infidelium archiepiscopi dignitate decoratus, fratrum sancti Francisci minorum ordinis religiosus.

Illius e relatione, quam, peracta baccoviensis dioeceseos visitatione sacrae de propaganda fide congregationi Romam liberius et latius, omnem siquidem ordine rem enarrans, perscripserat, eo tempore sequentibus in locis parochiae fuisse comperiuntur: in *Husch, Vaslui, Barlad, Galatz, Bogdana, Sztanfalva, Manfalva, Gerzdafalva, Niamtz, Domafalva, Szabofalva, Lokoesfalva, Voelesek, Ujfalu, Tatros, Lukacsfalva, Szaloncz, Forrofalva, Paskan, Bogdanfalva, Hidegkut, Terebes, Bakov, Roman, Tamasfalva, Zsidofalva, Szetskofalva, Baja, Soczawa, Herleu, Kotnar, Sztunga* et *Fass,* denique *Jassiis,* ubi princeps Basilius Lupul ecclesiam restauraverat. [2])

Harum autem parochiarum plurimae sacerdotibus erant or-

Sacrae Theologiae Doctor, Post Ad Altissima Assumptus, Et Serenissimorum Poloniae Regum Favore Pontificalibus Infularum Insigniis Honestatus, Baccoviensi In Valachia (sic Poloni Moldaviam vocant), Premisliensi in Russia, Luceoriensi In Volhynia. Quam Extremam Dum Prehendere Tendit, Prope Metam Concidit Bulgorai In Itinere. Ab Auctorae Vitae Evocatus Anno MDCLV. Calendis Januarii. Ita Mors Invida Nec Virtuti Parcit Nec Honori. Tu Si Pius Es, Egenorum Patri, Literatorum Patrono, Bonorum Civium Promotori, Optimo Rei Publicae Senatori Et In Pastorali Administratione Verbo Vt Exemplo Laudabiliter Versato Antistiti Immortalem Precare Vitam! « — *Krantzius* quoque poeta (Vide *Pauli* comitis *Potocki* opera ed *Josephi Zaluski* Varsaviae 1747 fol. pag. 131.), lugubri mortem ejus cohonestavit carmine.

[1]) Ex archivo ff. Franciscanorum claudiopolitanorum in Transsylvania.

[2]) *Wasniewski* l. c. p. 260. tradit romano-catholicas *Jassiis*, in *Galatz* et *Soczava* parochiales ecclesias a principe Basilio Lupul largioribus *erectas* fuisse sumptibus. Verum veniens in Moldaviam *Bandini* Jassiis quidem ecclesiam non adducit, Galatzensem autem et Soczaviae novit. Quum tamen Jassiis ecclesia pridem jam fuisse perhibeatur et 1370 vel circiter a *Latzkone* Moldaviae principe fundata, privilegiisque munita legatur (Cf. *Sulzer* l. c. III. p. 550; *Kurz* l. c. II. p. 19 nota 14) quae privilegia in archivo monasterii leopoliensis fratrum minorum ad sanctam crucem »*deposita et dein recepta*« fuisse acta provincialia 1645 perhibent: *Bandinii* relatio, Jassiis ecclesiam a Basilio principe fuisse *reconstructam* sufficit, quominus *aedificatio* vel *erectio* principi dicto merito ducatur.

batae, persaepeque campanas qui pulsabat aedituus, vel qui fidelium in ecclesia congregatorum organo modulabatur cantum, pro tenui posse suo vices absentis agebat sacerdotis, qui rarissime boni pastoris promerebatur laudem. [1]) *»Sacerdotes plurimi,«* verba sunt *Marci Bandini*, *»tam rudes, indocti ac immorigeri sunt, ut potius scandalo et offendiculo essent, quam aedificationi.«* Quum tamen mores, tam boni quam perversi plerumque his tantum ingenerentur rebus, quas ipsa loci natura vel consuetudo suppeditat, non minimam profecto causam sacerdotum catholicorum tunc temporis mores collapsos fuisse, non tam episcopi praebuit absentia, quam hostiles Tatarorum cuncta depraedantium infestationes, et illa principis *Basilii* parsimonia, quae sui tantum ritus orientalis ecclesiasticas personas, inprimis autem diffusos per omnem terram in centenis monasteriis monachos, dignos arbitrabatur, qui larga manu non tam juventur, quam ditentur. Accessit etiam illud hujus principis decretum de dato: »Jassiis 24 Februarii 1649« quo easdem graeci ritus orientalis ecclesiasticas personas, et pertinentes ad ecclesiastica servitia servos, dignitati consulens sacerdotali, foris in saecularibus vel tunc etiam judicari vetuit, si criminum rei facti fuissent, quorum causa principis ad senatum, utpote supremum judiciale terrae tribunas perducendi fuissent. [2]) Ad hanc exemptionem romano-catholici sacerdotes etiam admissi fuisse videntur, sed ea ratione, ut schismaticis subsint episcopis, quod beneficium, hac illis conditione largitum, quum recusassent, ut recusare debuerunt, exemptionis jure non gaudebant, et apud »orthodoxos« ut sese graeci ritus orientalis asseclae vocitant, quasi vilioris conditionis homines ecclesiastici, quapropter et despecti, multisque lacessiti tribulationibus, animo conciderunt, sese neglexerunt, et in deplorandam illam, quam *Bandini* tris stissimis verbis depingit, conditionem delapsi sunt.

Licet autem ad has graeci ritus orientalis clero gratias largiendas et concessiones faciendas Moldaviae princeps quodammodo vel ideo coactum se videret, quia Mahometi doctrinam sequentem ducens uxorem, sibi cavendum erat, ne sua sponte publicam impietatis notam contrahat, virosque summae in subditorum majorem partem auctoritatis, sibi faciat inimicos; tamen *Bandini* hunc rerum tristem statum aegerrime ferens, et per analogiam desiderans, ut aequitati simul et clericali satisfiat romano-catholicorum quoque sacerdotum dignitati, summis apud principem intercedebat precibus, qui sibi, visitatori per

---

[1]) *Teutschlaender* l. c. p. 7. b. nobis epitaphium conservavit *Valentini Alsstner* kotnariensis anno 1647 defuncti, et p. 7. d. *Andreae* 1654 mortui similiter kotnarensis sacerdotis, qui laudatissimi suis in officiis operarii fuisse dicuntur. His accedit l. c. p. 7. e *Gabriel Drotlerus*, qui quinque lustris in cotnarensis ecclesiae gubernatione peractis, obdormivit in Domino.

[2]) *Melchisedek* in »Chronicon Huschiense« Bucuresti 1869. 8 — rumun. — p. 118 sq. hoc documentum publicum reproducit.

Moldaviam apostolico, secundum legem ecclesiasticam, exclusivam in sacerdotes reos concedat animadvertendi libertatem, quod tandem et impetravit. Amplius non erat itaque pertimescendum, a pertinacibus, ut *Bernhardini Quirinii* temporibus fieri solebat, spirituales quoque romano-catholicorum causas ad orientalis graeci ritus episcopos, vel principis ad aulam deferri posse. [1])

Bandini tamen hac tandem impetrata judiciaria libertate vel ideo minime poterat uti, quia provincia magno perstrepabat armorum apparatu, brevique grande, cruentumque belli theatrum facta fuerat.

Bogdanus etenim *Chmielniecki*, magnus Cosacorum zaporogensium »attamanus«, bellis cum *Polonia* districtus, ut illius ad Turcarum caesarem de dato: »Nowesiolo 14 die mensis Octobris 1648« transmissae testantur litterae. [2]) quum *Poloniae* majorem partem, *Ukrainam*, *Albam Russiam, Volhyniam, Podoliamque* sibi victrici subjugasset ense, *Moldaviam* insuper et *Valachiam* concupiverat, quibus terris, unius ejusdemque fidei professionis, *Turcarum* sub auspiciis dominaretur.

Huic se Transsylvaniae princeps junxerat, *Rakoczius*, unde clarum, planumque fiebat, rem agi maximi momenti, deturbationem scilicet de sede sua Moldaviae principis. [3]) *Basilius Lupul* igitur durissimis propriae salutis agitatus curis, [4]) ut bellum evitaret, sibique consuleret, filiam *Roxandam*, Bogdani filio *Thimotheo*, filia cognatisque penitus licet invitis et repugnantibus, dat in matrimonium. Scyllam autem evitare dum sic laborat, in Charybdim incidit. Coactus etenim — Cosacis junctus — exercitum in Polonos movere, devicto socio, dispersis in captivitatem liberis, thesauris congestis orbatus, et ipsa dignitate privatus, mundanae potentiae caducitatis exemplum, vitam — meliori sorte dignus — miserrime finivit. [5])

Iterum igitur toto belli tempore vel spem inter et metum suspensi cunctorum haerebant animi, vel si non pugnantium furor, coactorum certe militum petulantia pagis et urbibus ignem injiciebat, et violentas agebat hominum, pecudumque praedas. Itaque nec terrae habitatorum conturbatus affectus, nec ipsa moldavicae reipublicae pro tempore conditio tales erant, ut de sanandis illis, quibus

---

[1]) Hujus calamitatis *Quirini* pluries in suis ad sedem apostolicam datis litteris tristem fecerat mentionem.

[2]) *Sadok Baracz*: »Memorabilia Patrum in Polonia Bernhardinorum« Leopoli 1847. 8 — polon — p. 136 sq.

[3]) *Grabowski*: »Patriae memorabilia« Cracoviae 1854, 8. — polon. — II. p. 19 num. 9 in litteris castellani camenecensis ad subjudicem leopoliensem.

[4]) Cf. litteras magni campiducis *Potocki* de dato: 22 Novemb. 1650, *Joanni Casimiro* Poloniae regi transscriptas, in *Szajnocha* »Delineamenta historica« Leopoli 1854. 8 — polon. — p. 73. nota 21.

[5]) Cf. Litteras *Petri de Noyers*, Poloniae reginae *Mariae Ludovicae Gonzaga* a secretis dati, quas 16 Martii 1657 scripsit. »Litterae *Petri de Noyers*« Berolini 1859. 8 — gall. —

res catholica per provinciam laborabat malis, cogitari potuisset. Pauci siquidem, quos *Bandini* sacerdotes ex Italia secum adduxerat, [1]) tam numero quam rerum circumstantiis erant impediti, quominus praesulis sui votis ope sua potuissent adesse. Verum et ipse *Bandini* mox in Italiam reversus est.

Dum etenim haec aguntur, Poloniae rex, vel rerum omnium habita ratione, vel — quod non liquet — illius unico, per s. sedem agnito baccoviensium episcoporum denominandorum jure commotus, *Zamojskio* successorem dare constituit, cujus vel ipsa persona demonstraret, quantum in Moldavia Poloniae rex adhuc ponderis momentum habeat.

Ulterior baccoviensium episcoporum series

hac regis nominatione cepit initium. Episcopalem dignitatem vidit nimirum sibi collatam

XVI. Mathias Marianus Kurski, stemmatis »*Prawdzic*,« sancti Francisci fratrum observantium religiosus, qui 1651 nominatus, dioecesim suam ob durantis belli turbines, et dissolutorum *Kosakorum* et *Tatarorum*, cuncta vastantium, diutinam in terra praesentiam, non visitabat. [2])

Marcus Bandini certior factus, Mathiam Marianum Kurski nominatum fuisse, Romam se contulit eo tempore, quo fidelibus non leve periculum erat subeundum.

Constat etenim *Bogdanum Chmielnicki* romano-catholicis dogmatibus addictis inimicissimae mentis et persaepe gloriatum fuisse in eo, quod non tam privato deserviens compendio, quam pro fide sua, graeca scilicet orientali, non solum consolidanda verum etiam dilatanda, ceperit arma. [3])

Non leves itaque catholicis Moldaviae incolis a *Cosacis, Tatarisque* patiendae persequutiones, non levis etiam, quae perferenda erat, solantis animos vocis jactura. Plurimi siquidem rerum gestarum scriptores majorem ecclesiarum ruinam, parochorum dispersionem, baccoviensis monasterii desolationem, [4]) morum depravatio-

---

[1]) Documento sit sacerdotis 1650 factum legatum 19 annuorum aureorum pro duabus habdomadalibus missis et 4 aureorum pro cantore, quod beneficium legantis nepos accepit, qui in urbe »Fermo« in Italia, sacerdos factus erat. Cf. *Hajdeu* : »Columna Trajana« IV p. 154.

[2]) Cf. *Kodrescu* : »Diplomatarium« Jassiis 1853. 8. — rumun — III. p. 95—96 num. 21.

[3]) Instructio de dato 11 Januarii 1654 signifero leopoliensi *Nicolao Bieganowski* data, quum nuntius ad ottomanicam mitteretur portam. *Grabowski* l. c. I. p. 3.

[4]) In claudiopolitano FF. Franciscanorum transsylvaniensium archivo supersunt litterae *Petri Manero*, ministri generalis, de dato : »Romae mense Junio 1651, e quibus patet, baccoviense monasterium eo anno adhuc fuisse habitatum, sed jam 1655 comperitur vacuum, ut nobis inferius — de *Parcevichio* loquentibus — dicendum erit.

nem,[1] et illam virtutum et scelerum foecundam genitricem, communem omnibus paupertatem, ad haec tristia referrebant tempora, quae seris etiam annis omnium ostentabant oculis, quae quantaque Moldaviae rebus hostes inflixerint vulnera.

Reconciliata tandem pacis gratia, res quoque catholica meliora majoraque cepit incrementa. Penitus vero meritoque videtur in dubium vocari posse, baccoviensem episcopum *Mathiam Marianum* officii sui labores et sudores vel tunc etiam in persona subiisse. Laborabat etenim artericis doloribus et paralysi denique tactus erat. Eapropter etiam non solum *Joannes Casimirus*, Poloniae rex, litteris de dato »Varsoviae 9. Junii 1659,«[2]) verum ipse quoque *Mathias Marianus* episcopus litteris de dato: »Varsoviae die 5 mensis Julii 1650,«[3]) per apostolicum in Polonia nuntium ad *Alexandrum*, summum pontificem hujus nominis septimum transmissis, testatur, corporis viribus debilitatum antistitem pastorale munus moldavicis in ditionibus minime obire posse; quapropter ecclesiasticae suae dignitati *»sed ad locum solummodo«* renuntiare sit coactus. In utriusque tamen, et regis et episcopi litteris *Athanasius Rudzinski*, sancti Francisci minorum regularis observantiae religiosus, ut vir designatur virtutibus conspicuus, et praeter vetustam in Poloniae regno generis nobilitatem, divinae gloriae zelosus, muneri demum illi conferendo par, ut nemo secundus. *Joannes Casimirus* igitur eum episcopum fieri proponit, et dum illum sanctissimo patri confirmandum commendat, insimul et supplex fit, ut summus pontifex solitas circa bullarum expeditionem expensas, quum sedes ipsa pauperrima sit, fereque nullis provisa reditibus, eidem condonare dignetur.

Licet itaque bulla simus destituti, qua summus pontifex baccoviensem episcopatum a Poloniae rege nominato contulit *Athanasio Rudzinski*, quum tamen sancta sedes apostolica similes regum et antistitum preces denegare non sit solita, *Mathias* autem *Marianus Kurski* post sedis baccoviensis resignationem, episcopus ennensis et suffraganeus posnanensis archiepiscopi creatus fuisse perhibeatur, minime dubitare possumus, quin hic

XVII. Athanasius Rudzinski *Mathiae Mariani Kurski* successor immediatus fuerit. Illius tamen pastorali curae plurimum obfuit, illud ardens in Polonos, iteratis vicibus in Moldaviae respublicas ingerentes sese, conceptum odium, quod nullo temporum vel personarum habito respectu nutritum, multis etiam annis post, archiepiscopo quoque marcionopolitano et apostolico per Moldaviam visitatori, *Petro Parcevich* acerbissimis his, ex incolarum ore provenientibus non sivit parcere verbis: »*Episcopi Poloni, etsi centena*

[1]) Multa principum Moldaviae supersunt decreta, quibus singuli magistratus iterum et iterum fures et latrones eliminare jubentur.

[2]) *Theiner*: Monum. Polon. et Lithvan. III. p. 549.

[3]) *Idem*: ibid. p. 550.

juramenta deponerent Baccoviae residendi, nunquam tamen factis, moraliter aut physice demonstrabunt. Venient quidem per tres, quatuorve menses, et quidquid alieno sudore et industria comparatum est, comedent et bibent et inde recedent.« [1])

Sed *Rudzinski*, quum vix unius anni spatio baccoviensem occupasset cathedram, culpandus non est, sacerdotum et scholarum in Moldavia non obviatum fuisse defectui, nec etiam apostasiae nonnullorum catholicorum causam, inita scilicet cum haereticis et — ut *Parcevich* loquitur — *»cum lascivis mulierculis«* matrimonio reprimere potuisse.

Die 31 mensis Januarii 1660 successor illi datur:

XVIII. Jacobus Gorecki, Praedicatorum ordinis, [2]) qui tamen, quum — humanarum rerum caduca vice — Moldaviae principes in terrae dominio, non sine magno cunctorum detrimento, paucis et brevibus temporum intervallis exciperent sese, dioecesim suam vel non adiit, vel intra septenium una vel altera pastorali perlustravit visitatione. Ductus itaque sacrae de propaganda fide congregationis consilio, [3]) summus pontifex edixit, ut

Petrus Parcevich, qua visitator apostolicus

in Moldaviam se conferat, anno 1667, quod summo Pontifici videtur jam ante tres annos in votis fuisse. Supersunt siquidem *Viti Piluccii* litterae de dato: »Vignanello 16 Augusti 1663« ad patrem *Antonium Angelini di Campi* directae, quibus certiorem illum facit, se missionibus in Moldavia praefectum nominatum esse, simulque rogat, ut eum, comitaturus eum, Venetiis expectet, [4]) qui *Piluccius* postmodum episcopali dignitate praeditus, baccoviensis dioeceseos administrator nominatus est.

Petrus Parcevich, Bulgarus, archiepiscopus Marcionopolitanus, sacrae caesareo-regiae Germanorum majestati serviens a consiliis, qui Vienna Baccoviam fuerat missus, [5]) duplex nobis officium nactus fuisse videtur. Spirituale palam, publicumque secreto prosequendum.

[1]) In relatione sacrae de propaganda fide congregationi porrecta, de dato: »Baccow. 12 Julii 1670,« quam publicavit *Kurz* l. c. p. 69—73. Multum quidem exaggerationis hoc in effato, sed odii cujusdam naturalis vel aversionis documentum et nostris diebus ad augustissimam austriacam domum 1775 devolutae, »Buccovina« dictae Moldaviae partis incolae praebuere. Vide citatam a nobis »Apologiam« passim, scatentem invidia, mendaciis, exaggerationibus etc. non autem humanitate vel amore christiano, aut saltem veritatis quotidiano studio.

[2]) *Sadok Baracz* in adtracto de rebus PP. Praedicatorum in Polonia gestis opere non meminit illius, ast *Joannes III* Poloniae rex in litteris, quibus pontifici *Joannem Dluskium* in episcopum commendat.

[3]) *Kurz* l. c. II.

[4]) Ex archivo s. de propag. fide congregationis *Hajdeu* in: »Columna Trajana« nova series IV. p. 149—150.

[5]) In litteris in nota praecedenti adductis dicit: »Dum eram Viennae, omnes litterae omnem assistentiam promittebant, dummodo Vienna discederem.

Quoad spirituale, primo statim — ut ipse dicit [1]) — in terram adventu, quantum potuit operatus est, ut inprimis defectiones a fide coerceat. »Accessimus« — verba sunt illius — »hoc in negotio principem, accessimus metropolitam provinciae et dioecesanos episcopos schismaticos, valachicos, rem serio proponendo. Obtinuimus ab omnibus favorabiles epistolas, ut »si qui ex nostris velint ad pristinum catholicorum statum redire, possint et valeant.«

Hoc ut eo certius et facilius fiat, sacerdotum, praesertim pagis in hungaricis defectui consulere statuit. »Populus« — ita scribit [2]) — »petit continuo nationales sacerdotes. Non dantur. Nec ego sum Moyses aut Elias, ut prodigia facerem, ut petram percutiam et fluant aquae.«

Statim igitur ad praecipuum in Transsylvania sancti Francisci strictioris observantiae religiosorum monasterium *csiksomloviense* accessit, quod antiquitus jam meritissimos indefessosque vineae Domini subministrabat operarios, qui tamen ab anno 1655 baccoviense quod inhabitabant monasterium et Moldaviam deseruerunt.

Et hoc in Baccoviensi monasterio, cujus in ambitu non solum ex Hungaria verum etiam e Moldaviae provincia Valachi et Armeni degebant, quos, praesertim Armenos, ad unionem cum ecclesia romano-catholica perduci posse sperabatur, [3]) *Parcevichium* inter et patres e Transsylvania specialiter ad hoc deputatos, die 2 mensis Julii 1670, de resumendo certas in conditiones baccoviensi monasterio conventum est, [4]) et jam decem diebus post, die scilicet 12 ejusdem mensis Julii 1670, idem visitator apostolicus Baccoviae patrem *Stephanum Toplicsai*, csikiensis monasterii guardianum, omnibus et singulis baccoviensis dioeceseos utriusque sexus Christi fidelibus« in spiritualibus et temporalibus generalem sui vicarium renuntiat, [5]) et eadem die sacram de propaganda fide congregationem his de dispositionibus suis certiorem facit. [6])

Hujus propter animarum emolumentum factae monasterii collationis et vicarii generalis nominationis approbationem a magistro generali *Rhini* csikienses imploraturi, litteris de dato »Csik 17 Julii 1670« perscriptis exponunt: »Baccoviam duorum tantum dierum itinere distare, cujus civitatis in circuitu catholicus populus ejusdem, scilicet hungaricae sit linguae, sacerdotibus attamen, hoc idiomate nativo divini verbi pabulum porrigentibus, destitutus, adeoque tales pro satisfactione spirituali profusis continuo lacrymis expetens. [7])

---

[1]) ***Ibidem.***

[2]) ***Ibidem.***

[3]) ***Ibid.*** »Nam ego, Deo duce, jam animos presbyterorum armenorum ex parte optime disposui.«

[4]) ***Kurz*** l. c. II. p. 66—69.

[5]) ***Idem*** ibid. p. 77.

[6]) ***Idem*** ibid. p. 77—79.

[7]) ***Idem*** ibid. p. 74—75.

Ejusdem sententiae litteras de dato: »Csik 18 Julii 1670« Romam ad cardinalium transmittitur collegium, [1]) ut ejus intercessione sedis apostolicae consensus assequatur.

Armenos quidem *Valachosque Parcevich* ad unionem cum ecclesia romano-catholica non permovit, sedulo tamen et non sine uberiori fructu curam adhibuit omnem, non solum ut apostasias coërceat, aberratosque salutis arctam in tramitem reducat; [2]) verum etiam ut sacerdotes, praesertim autem societatis Jesu patres in *Kothnar* scholas, non ob prima tantum rudimenta frequentandas, instituant. [3]) Dolebat etenim pervehementer, nullum provincialium ad sacerdotii dignitatem in ipsa terra provehi posse, lugebatque magnam inde provenientem animarum jacturam, et insuper miserebat eum suos fideles graeci ritus orientalis fidelibus eo majori derisui, despectuique futuros, quo melioribus iidem Moldavi jam a principe *Basilio Lupul* 1644 conditis et provisis tam generalibus quam specialibus educationis publicae perfruebantur institutis. [4])

Nihilominus et illius quoque virtus, quum, quibus opus fuisset, omnibus destitueretur subsidiis, defecit. Non una vice relationibus, ad sacram de propaganda fide congregationem perscriptis, inserit summi verba doloris »jam a triennio sibi denegari subsidium, provisionem et in necessitatibus communicationem, promissas multoties et incassum similiter multoties rogatas.«

Quum tamen — ut superius commemoravimus — missionem politicam quoque sibi commissam haberet, cujus causa Romam usque suscipiendum erat iter, aerumnas et pericula longi non adhorrens itineris, illud aggredi statuit, quo simul et sacram de propaganda fide congregationem adeundi facultatem nancisceretur.

Multis nimirum docemur, eum foederis inter christianos principes adversus Turcas componendi causa, multas in terras et multos ad reges missum fuisse, praeprimis autem in ipsa Moldavia consentiente principe *Duca*, principatus velut administratorem egisse. [5]) Poloniae regem caesaream viennensem aulam, in qua caesare morbo deposito, ab imperatrice *Eleonora* summis excipitur honoribus, *Venetias* denique visitavit, [6]) omnibus his in locis annuntians, *Moldaviam*

---

[1]) *Idem* ibid. p. 76—77.

[2]) In relatione saepius citata. — »Nonnulli lacrymis et contritione, ita ut caeteros ad exemplum traherent, sunt reversi.«

[3]) *Ibid.* »Insinuavi Patres societatis, *viginti annis* nullas erexisse scholas, nisi trium vel quatuor puerorum, totidem pariter annorum syllabizantium.«

[4]) *Kazy*: »Hist. regn. Hung.« etc. Tyrnaviae 1737 fol. Tom. III. lib. 4. p. 119—120.

[5]) *Oldoini*: »Compendium historiae mundi.« Venetiis 1674. 16°. — ital. — p. 68.

[6]) *Ecsarcu C*: »Documenta historica reperta in archivis italicis« Bucuresti 1878. 8 — rumun — p. 25: »*hanno comesso* il ricorrere alle corone e Principi cristiani, e principalmente alla vostra Serenissima Republica,« a qua naves

Valachiam, Serviam, Bulgariam, Thraciam et *Macedoniam* ad commune cum Turcis bellum paratas esse.

Quum autem animo prospiceret, se diutius abfuturum, aut fortassis nequaquam reversurum, spiritualibus dioeceseos necessitatibus erat providendum. Hanc ob rem litteris de dato: »Baccoviae 10 Martii 1673« [1]) *Stephanum Taplocsai*, vicibus iteratis generalem suum promulgat vicarium. Triennio post, *Parcevichio* reditum in Moldaviam protrahente, sacra de propaganda fide congregatio litteris de dato: »Romae 1ª Decembris 1676 *Stephanum Taplocsai* certiorem facit, ei, si sanctissimo domino placuerit, prout *Innocentio* nominis hujus undecimo de facto placuit, [2]) baccoviensis episcopatus administrationem cum apostolici vicarii titulo concendendam esse. [3])

Stephanus Tapolcsai qua baccoviensis episcopatus administrator

non tamen et catholicae per Moldaviam missioni praefectus erat. Ab anno nimirum 1670, quo prima vice *Parcevichii* vicarius generalis designatus fuerat, missionibus praefecti dignitatem aliis viris seorsim collatam fuisse docemur; siquidem hoc in munere *Vitum Piluzzi* reperimus, qui quemadmodum litterae illius de dato »Bajae 14 Decembris 1668 ad apostolicum in Polonia nuntium de missionis moldavicae statu demonstrant, [4]) ante jam praefecti munus obibat. [5]) His perpensis facile conjicere licet, episcopum *Gorecki*, baccoviensis episcopi titulo contentum, in Polonia semper habitasse, munerisque primum impositi sibi molem humeris vicarii generalis et missionibus praefecti commisisse, adeoque nec fideles visitasse.

Stephanus Tapolcsai, cujus praesertim in rebus gerendis affabilis comitas, circumspecta dexteritas et singularis prudentia laudantur, [6]) quae sui muneris erant, optima fide semper adimplebat, licet miserrima pariter ac luctuosissima diebus illius Moldaviae illuxissent tempora, quorum acerbitatem non subterfugebat.

Constat etenim Poloniae regem, Joannem III, illud in Turcas flagellum, totiusque christianitatis firmissimum propugnaculum, ditionis *haereditariae* sibi creandae cupidum, hanc ex illis conflare vo-

---

armatas postulabat sub reipublicae vexillo — »un stindardo con le impressioni della serenissima adriatica Maesta« — in quibus rebus omnibus pertractandis »elegantia si retorica studiata« excellebat.

[1]) *Kurz*: l. c. II. p. 79—80.

[2]) Bulla de dato »Romae 11 Januarii 1677« ut omnia *Parcevichii* vicariatum apostolicum spectantia documenta, secundum eorum apud ff. PP. Franciscanorum custodiae Transsylvanae Claudiopoli conservata originalia publicavit *Kurz* l. c. II p. 81. sq.

[3]) *Kurz*: l. c. II. p. 80.

[4]) Ex archivo sacrae de propaganda fide congregationis *Hajdeu*: »Columna Trajana« series nova. IV. p. 150—153. num. II.

[5]) Quo jure titulo: »Provinciale d'oriente et Commissario generale di cinque Province« sit usus, nescimus.

[6]) Relatio vicarii per Moldaviam apostolici *Parcevich* saepius adducta.

luisse provinciis, quas *Bohdanus* olim *Chmielnicki*, debellatis *Albae Russiae, Podoliae, Ukrainaeque* terris adjungere voluit, e *Valachia* scilicet, Moldaviaque. [1]) Neminem latebat, regem caesari primum *Leopoldo* junctum et propriae confidentem bellicae virtuti, non solum propter proprii regni, christianorumque regnorum securitatem contra Turcam ad internetionem usque bellum suscepisse, verum etiam non tam persequendorum ad *Leopolim* devictorum Turcarum, [2]) quam hujus haereditariae ditionis creandae causa, Moldaviam anno 1675 praedabundis vexasse copiis. Incolarum igitur provinciae hujus animi armorum strepitu continuo, quem transeuntes per eam barbarorum infidelium copiae, principique, Turcarum vasallo, praestandi subsidiarii ciebant exercitus, in ancipiti positi, magis quam pacatiori tempore, fidei solamen unicum sibi non denegari peroptabant.

Horum necessitatibus occorsurus *Tapolcsai*, tentatus est quae poterat. Inprimis compescendi erant exaggerati cunctorum incolarum animi, qui Polonorum inveterato semper odio flagrantes, gravissime ferebant, propriae, quam e pace sperabant saluti, magnumet solidum a Polonis obicem poni, Polonorumque quemquam in Moldaviae terra majori honore numeroque haberi. Praeter principem et fide et animo in Polonos singulari, nemo erat, qui vel regis Polonorum intentionem non perspexerit, vel securum aliquod refugium et sustentationem in Polonia sibi pollicistus sit. Non moverunt populum, eo tempore cujuscunque tenoris publica seu privata documenta, vel privilegia, principumque donatariae litterae a Polonis undequaque vi congregatae, publice concrematae, novae quasi, quae futura sit, publicarum rerum faciei praesagium.

Multae missionibus praefecti *Viti Piluzzi* supersunt litterae, tam ad nuntium apostolicum in Polonia, quam ad sacram de propaganda fide congregationem transmissae, quae rerum catholicarum in Moldavia statum singulas in partes delineant. Nullibi tamen vel minimum occurrit vituperium actionum vicarii generalis, qui, 1678 anno exeunte, vel e vita cessit, vel dignitati suae renuntiavit.

Nam, quae *Joannes III*, Poloniae rex perficere posse cogitaverat, aliter plane fata tulere. *Gorecki* quoque, baccoviensis episcopus, interim vita cessit, et »quum Poloniae regibus, dominis quondam in Valachiae, Moldaviaeque provinciis« — ut rex *Joannes* dolens conqueritur — »nihil in his terris supersit, praeter jus praesentandi viros idoneos ad episcopatum Baccoviensem, in partibus illis existentem«, Joannes III litteris de dato: »Zolkiev in arce regia 20 Novembris 1679« summo Pontifici transmissis, baccoviensem episcopatum post *Jacobum Gorecki* vacare nuntiat, simulquae rogat, ut novus

[1]) *Balinski* et *Lipinski*: »Antiqua Polonia« Varsoviae 1845. 8. — polon. — II. p. 23. et 604, aliique plurimi.

[2]) *Salvandy*: »Hist. Joannis Sobieski« — polon. versio — edit. *Sierakowski* Leopoli 1861. 8. p. 151. sq.

crearetur episcopus *Jacobus Dluski.* [1]) Summus Pontifex humili Polonorum regis accedens petito, brevi suo de dato: »Romae 23 Decembris 1679« satisfecit [2]) et

Ulterior episcoporum baccoviensium series

— quum Goreckio de facto successor sit assignatus

XIX. Jacobus Dluski, sancti Francisci fratrum minorum conventualium religiosus — novum cepit exordium, [3])

Episcopus *Dluski*, Poloniae rege teste, clarus erat doctrinae lumine, vitae conspicuus integritate, promovendaequae fidei catholicae zelo flagrantissimus. Fratrum suorum in consortio cunctis officiis summa laude fungebatur, et »licet episcopus Baccoviensis exiguos olim, nunc plane nullos haberet proventus« — de quibus autem providere se velle rex promiserat — stabilem Baccoviae sedem figere non detractavit.

Non unam autem in adimplendis, quae muneris erant impositi, rebus *Jacobo Dluskio* difficultatem consulto quoque paratam fuisse, vel inde liquet, hisce temporibus exactionibus bellicis et varii generis vectigalibus non saeculares tantummodo, sed ecclesiasticas etiam personas dirum in modum exaggeratas et principes terrae, paucorum annorum intervallo saepius loco motos et studiosos semper fuisse, qui consequendo principatui profusas pecunias recuperarent. [4])

Gravia tam turbulentorum temporum vulnera cicatrice nondum erant obducta, quum *Turcarum* ad oppugnandam *Viennam Austriae* properans exercitus Moldaviam inundaret. Hujus agmina *Tatari* claudebant, quorum turbae, disciplina militari carentes, licet

---

[1]) *Wasniewski* l. c. in operis fine litteras has verbotenus reproducit.

[2]) Illius brevis originale possidet archaeologica Moscoviae societas, ut in illius in annum 1845. edito catalogo p. 264 apparet. Mentionem hujus brevis facit *Hajdeu* in: »Archiv. hist. Rumun.« Bucuresti 1865. 4. p. 176.

[3]) Duo *Goreckium* inter et *Dluskium* a Moldaviae rerum gestarum scriptoribus intruduntur baccovienses episcopi, de quibus uberes nostri nihil plane tradunt fontes, et pro quibus intrudendis, habita circumstantiarum ratione, locus non superest. Sic *Melchisedek* in: »Papismul etc.« p. 28 hungarici cujusdam episcopi meminit, cui nomen »*Joan Zammatel Burkuta*« fuisse contendit, cui 1675 terrae princeps diplomate suo privilegia confirmat, quibus idem princeps *Antonius Rosetti* sacerdotum a vectigalibus libertatem seu exemptionem a praedecessoribus concessam, sibi quoque ratam et gratam pronuntiat. Subodoramus hic nominis corruptionem, quum diplomatis existentiam negare non possimus. Nullibi simile nomen in episcopi fontibus nostris occurrit. Alii et non pauci volunt, *Goreckium* inter et *Dluskium* certum quemdam *Lousoni* baccoviensis episcopi dignitate functum fuisse, quin specialia quaecunque illius de persona, rebusque gestis adducant. Nobis nomen illius penitus ignotum est, nec etiam conjicere possumus, quomodo? quando? quibus auxiliis? episcopus in Moldaviam venerit, ubi eodem tempore nec rom.-cath. episcopo nec illius vicario opus fuerat. His de causis hic solum illorum facimus mentionem. Cf. p. 94. not. 2.

[4]) Cf »Chron. Husch.« Bucuresti 1869. 8. rum. et »Chronic Romanense« Bucuresti 1874. 8. rumun. passim.

Moldaviae princeps suas cum *Turcis* movisset copias, incolis multum acerbitatis, doloris et cruciatus adtulerunt. Vix ultra fines erant progressi, quum episcopus *Jacobus*, ut suos fideles, eorumque pastores consoletur, dioeceseos afflictae visitationem institueret. Hoc in opere pio Tatarorum in manus incidit, qui Moldaviae terram defensore vacuam, e »*Budjak*« eorum patria, praedabundi fuerant ingressi.[1]) *Kunicki*, Cosacorum attamanus, illos in turpem fugam conjecit quidem, sed episcopus *Dluski* dirum in modum ab illis, admotis videlicet ad latera facibus ardentibus, excruciatus, in conventu fratrum sancti Francisci minorum leopoliensium, communiter »*ad sanctam crucem*« dicto, in quem advectus fuerat, acerbissimos inter dolores diem clausit extremum, [2]) 1683. Orbatae praesule

Baccoviensis dioeceseos administrator Vitus Piluzzi

nomin datur, qui eo ipso, quo *Jacobus Dluski* die baccoviensem acceperat episcopatum, 23 videlicet Decembris 1679, neo nominato, causa quacunque moram facienti, vicarius generalis fuerat additus. [3])

Vitus Piluzzi romano-catholicae per Moldaviam missioni multis jam ab annis erat praefectus, et vel ideo longe lateque notissimus, quia, moldavorum lingua conscriptum catechismum, Romae 1677 publicam in lucem editum, in terra divulgaverat. Optima rerum moldavicarum notitia praeditus, adversis non tam ad perniciem propellente patientia, quam favoris collectione, mentis acumine, vel juris denique pondere medebatur, licet non tanta qua *Parcevich* olim apud sui temporis principem floreret gratia. [4])

Nobis in hujus viri de re catholica per annos triginta — quos in Moldavia transegerat — merita lustraturis, alibi desideranda rerum et circumstantiarum vividissima praebetur imago.

Quum — ut superius commemoravimus — anno 1663 moldavicis missionibus praefectus nominatus fuisset, singulas catholicae per Moldaviam missionis visitare coepit stationes. Harum qui status fuerit, quae fidelium conditio, quae denique sacrarum aedium vices, in litteris ad apostolicum in Polonia nuntium, de dato: Bajae 14 Decembris 1668 exponit. [5]) Sacerdotum summa paucitas, et qui per provinciam inveniuntur dispersi, vel ob fidelium suorum exiguum numerum, vel ob communem omnibus paupertatem, miserrimam du-

---

[1]) *Hammer* »Ottomanici hist. imp.« ed maj. VI. p. 424 et *Kunickii* relatio in Lünig »Publicorum negotiorum intra vicennium tractatarum sylloge.« Frankf. a M. 1694. 4. p. 847 de dato : »Tehinie (Bender) 7 Decbr. 1683. *Hajdeu* l. c. I. 2. p. 28. num. 297.

[2]) E conventus leopoliensis olim »ad s. crucem« historia domestica.

[3]) Ut nota 2. in praecedenti pagina.

[4]) *Gregorius Ghika* litteris de dato Viennae 16 Octob. 1667 ad s. de prop. fide congr. datis, Romam visitaturus, itineris illum sibi socium adjungere posse praecatur. *Hajdeu* l. c. p. 285—287. num. XXVI.

[5]) *Hajdeu* l. c. p. 150—153. num. II.

cunt vitam et stationem suam deserere sunt coacti. Tantum *Jassiis*, ubi frequentissimus fidelium numerus, sub suo praeposito *Beck*, societatis Jesu sacerdotes et sufficienti numero, sufficientibusque victui et amictui proventibus reperiuntur provisi. Unum invenit parochum, Hungarum, qui parentes, patrem et matrem, Lutheranos. alebatt. »Populus ipse vivit, ut Lutherani vivunt. Die Veneris et Sabbathi carnibus vescuntur« — sunt illius verba, — quibus subjungit, unicos Cothnarenses bonos esse catholicos, quorum in provincia numerus universim 4229 non excedit. Ecclesias dicit pauperes plerumque, sacraque suppelectili destitutas. Summis itaque precibus a sacra de propaganda fide congregatione sacerdotes expostulat, linguarum gnaros, praesertim litteris de dato: »Bajae 27 Julii 1670,« [1]) quibus etiam refert patres *Joannem Baptistam del Monte* et *Antonium Angelini de Campi*, quum exspirata sit illorum facultas, e *Transsylvania*, cujus in conversione sub auspiciis *Clementis Mikes* per annos laborassent, reversos esse, patriamque suam, *Italiam* repetere velle. Sacerdotes etenim, in missione detenti — ut nostris diebus — maximam ad partem Itali fuere, quos inter nominatim aducuntur in litteris ad sacram de propaganda fide congregationem de dato: »Bajae 8 August 1670.« [2]) *Benedictus de Cortona* et *Paulus Zoccolante*, qui, nescitur qua de causa captus a principe *Elia*, vinctus in carcerem conjectus et ad pátibulum fuit condemnatus, quam infamem capitis poenam *Piluzzii* precibus evasit, et alii.

Interim *Csikiense* in Transsylvania monasterium, cui vicarius generalis *Stephanus Taplocsay* testamento, quae Baccoviae haberet, in jus haereditarium cesserat, successionem etiam in apostolico generali vicariatu pro guardino suo, quodam altero *Stephano* transagere coepit. Hoc autem *Piluzzio*, nescitur quas ob causas, inopportunum videbatur, quapropter hunc vicariatum sibi, cui princeps faveret, deferri postulabat, qui tot ab annis in missione desudasset, quo tempore saepius ab episcopo vel ipsius vicario consiliis adhibitus fuisset, in quibus experientia sua tam rebus in mundanis quam ecclesiasticis optatum in modum componendis plurimum profuerit.

Haec tamen supplex illius precatio Romae locum invenisse non videtur, de qua circumstantia privatim forte certior factus, ut propositum suum ad eventum perducere tentet, litteris de dato: »Bajae 7 Septembris 1670, ad sacram de propaganda fide congregationem transmissis, [3]) in Italiam redeundi rogat licentiam, quum aeger sit, vires in missione contriverit, et iis omnibus, quae partium illius fuissent, tot annorum spatio satisfecisset. Praefectum etiam successorem exposcit, exemplarem, linguarumque gnarum virum, qui

---

[1]) *Idem* ibid. p. 153—155. num. III.
[2]) *Idem* ibid. p. 156—158. num. IV.
[3]) *Idem*. Ibid. l. c. p. 155.

onus in humeros excipiat suos, quod tamdiu sustinuerit, licet moles major sit, quam ut unus eam subire possit.

Sacrae de propaganda fide congregationis decretum, quo *Piluzzius* vicarius generalis episcopi Baccoviensis creatur, nobis ignotum quidem est, quum autem eodem tempore *Joannes Maria Spera*, missionibus in Moldavia praefecti munus obiturus, in terram venisset; [1]) nihil vetat, quominus *Vitum Piluzzium* generalem episcopi Baccoviensis vicarium renuntiatum fuisse, eo certius arbitremur, quo facilius et rectius conjicere licet, vel ipsam sacram de propaganda fide congregationem demum animo percepisse, nequaquam huic officio magis idoneum et proficuum inveniri, designarique posse. Constat etenim abshinc *Piluzzium* vicarii generalis vices supplevisse, *csikienses* itaque religiosos, licet de Moldaviae re catholica meritissimos, incassum laborasse, qui saltem in baccoviensi, si non in totius missionis catholicae per Moldaviam ambitu, majorem nanciscantur authoritatem, animarum saluti procul dubio maxime proficuam. Illi profecto praesertim anno 1675, quo funesta pestis in terram fuit illata, [2]) dirum in modum agros urens et urbes, non minori quam caeteri missionis sacerdotes animarum ducti zelo, vel ipsius vitae jacturam vilipendissent, ut pernicioso morbo conflictantibus dulci solatio servirent.

Ad episcopi *Dluski* nominationem *Piluzzi* vicarii generalis munere fungebatur indefessus quidem, sed saepe saepius, episcopo *Gorecki* Leopoli morante, dolendum erat, episcopalis dignitatis amplitudinem sibi denegatam esse. Non alia de causa, quam ut sacrae de propaganda fide congregationi promanantia hinc mala vividius exponat, ineunte anno 1679 in Italiam est profectus, ubi negotium illud felicem ad finem perduxit. Nam litteris de dato: »Vignatello 28 Aprilis 1679 [3]) eandem sacram de propaganda fide congregationem, eundem ad reditum in Moldaviam monentem, certiorem facit, se praesenti jam hebdomade reditum agressurum. Et has litteras ut alteras ad eandem sacram congregationem de dato Viennae 28 Aprilis 1679, [4]) quibus nuntiat se caesaris in aula honorificentissime exceplum fuisse, sic subscripsit: »*Vitus* archiepiscopus Marcionopolitanus« et a summo pontifice *Innocentio XI* brevi de dato: »Romae 23 Decembris 1679 baccoviensis episcopi coadjutor est proclamatus, [5]) quo, vel absente vel non existente, dioecesim administret. Juris tamen succcdendi nullibi fit mentio.

---

[1]) *Idem*. Ibid.

[2]) *Nicolaus Muste*: »Annales — rumun. — III. 27 edit »Letopisetele« Bukuresti 1874. 8.

[3]) *Hajdeu* l. c. p. 258. num. VIII.

[4]) *Idem* ibid. p. 257. num. IX.

[5]) Cf. Documentum, lingua latina publicatum in: »Bibliotheca societatis archaeologicae Moscoviensis.« Moscoviae 1845. 8. p. 264.

Hanc ejus nominationem qui sequutus est annus 1680, extra dioeceseos fines eum vocavit. Consecrandum etenim erat pertinens ad csiksomlyoviense monasterium sacellum seu capella sanctissimi salvatoris« in monte minori,« funditus renovata, quam aediculam sacram, ut traditio fert, primitus anno 1002 sanctus *Stephanus*, Hungariae rex, in memoriam victoriae de Transsylvaniae duce *Gyula* reportatae, suis sumptibus exstrui jussit, et ad quam fidelium celebris est die Pentesostes confluxus, qui lucrandarum indulgentiarum causa devoti hunc locum visitant, ad 30,000 numero. Hos inter hodiedum plurimi sunt adjacentium Moldaviae pagorum Hungari, quorum causa, nominis ignoti Moldaviae princeps, csiksomlyoviensi parochiae »*Balvanyos*« dictam alpium partem ea lege donavit, ut Hungaris in Moldaviae limitibus degentibus et ad Pentecostes festum concursuris, per triduum gratuitum concedatur hospitium, redituris autem de commeatu provideatur. [1])

Eodem tempore multis, maximique momenti rebus, caeterum penitus nobis ignotis occupatum fuisse credamus oportet, si litteris de dato: »Bakow 25 Octobris 1680 [2]) sacrae de propaganda fide congregationi refert, se patrem *Bonaventuram Guerrini de Todi* [3]) Romam expediturum, ut sibi familiaritate conjunctissimum, omniumque consiliorum participem. Id solum his litteris rescimus, agendum fuisse de re catholica non solum in Moldavia, verum etiam in *Transsylvania*, *Valachiaque* consolidanda, latiusque protendenda.

Haec dum legationis hujus in *Piluzzii* litteris affertur causa, non alienum a re nobis videtur, inquirere, quinam rei catholicae tunc temporis per Moldaviam saltem fuerit status.

Illum nos documentum cognoscere permittit, quod relationis de peracta dioeceseos suae visitatione titulo Piluzzius ad sacram de propaganda fide congregationem sub dato: Bakow 10 Julii 1682 transmisit. [4])

Deplorat inprimis miserrimam cunctorum incolarum terrae conditionem, qui bellicis turbis alioquin vexati, sub majori publicorum vectigalium mole quam ut quis eam subire possit, ingemiscentes, in diffusas in immensum prope sylvas tanto numero sese receperint, ut multis in pagis, ut in *Tomasiani*, *Neghani*, *Manesto, Bune Fontanelle* nec unus catholicus, alibi vix dimidia prioris fidelium numeri pars reperiatur. In ipsa *Baccovia* privatum cubile locum obtinebat ecclesiae destructae, cujus meliora paramenta prius jam Csikium erant devecta. Pecuniae sacerdotibus destinatae fere nullae redibant, et ipse *Piluzzi* cum capellano suo *Giorgini* saepius non

---

[1]) Cf. »Schematism venerab. Cleri Dioecesis Transsylvanensis« Albae Carolinae 1882. 8. p. 71.

[2]) *Hajdeu* l. c. p. 259. num. X.

[3]) Forte: »*de Lodi*« loco: »*de Todi*.«

[4]) *Hajdeu* l. c. p. 260—263. num. XI.

habebant, quo famem explerent. [1]) In *Kotnar* saecularis quidam *Joannes Baptista Berekuz* cum fratre suo *Matthia*, [2]) multa catholicis inferebat damna; Ragusani mercatores autem, in secunda cunctorum coëmtione terram pervagantes, fuscatis, quas in Italiam mittere solebant, relationibus suis, non solum transversos agebant spirituales magnae auctoritatis missionis patronos, verum etiam *Piluzzium* suspectum reddebant.

Tristis profecto rerum imago, sed quo tristior, eo major profecto, heroumque digna illorum Dei servorum indefessa virtus, qui tanta patienter tulerunt, quin ab officii tramite deflecterent. Certo certius et *Paulus* ille, qui suas in *Ciuberciuk* oviculas reliquisse legitur, ut cum reipublicae polonae legato *Tatariam* inviseret, non sua sponte loco cessit, animarum zelum comprobans vel in itinere, *Tataros* erudiendo, et baptizando.

Haec rerum facies immediate sequentibus annis nequaquam est immutata, multumque laboris et sudoris, aerumnarum et calamitatis *Piluzzio* adtulit. Moldavia namque non solum a *Kozacis*, Polonorum stipendia merentibus adeo devastata fuerat, ut rediens ex expeditione Viennensi princeps non *Jassiis*, in urbe sua capitali, sed in villa *Domnesti* residentiam suam figere cogeretur, verum semel concepti propositi tenacissimus etiam Poloniae rex *Joannes III.*, lapidem omnem movebat, ut *Valachia*, *Moldaviaque* pro domo sua potiatur, et ideo binis adhuc vicibus, anno scilicet 1683 et 1686 Moldaviam armis petebat, captas pecunia multabat urbes, [3]) vasis argenteis Deo dicata templa destituebat, sanctorum in Poloniam ossa deferrebat, [4]) verbo rem omnem ut complectamur, cuncta faciebat, quae Moldavos pungerent, stimularent et exaggerarent, donec in Polonos, inopia, sinistro Marte commissis pugnis, morbis et maturatorum itinerum molestiis debilitatos consurrexerunt et exosum hostem terra cedere coëgerunt.

Haec inter *Piluzzius* Romam pètiturus, *Leopoli* propter pecuniae defectum, cui hac in urbe mederi posse confidebat, haesit, et sortem suam litteris de eadem Leopoli 23 Martii 1687 sacrae de propaganda fide congregationi, subsidium seu subventionem petens,

[1]) »In che miseria io qui sta« — verba sunt illius — »con il padre F. *Antonio Giorgini* mio Capellano, nessun lo credarebbe, ch' *alle volte ne meno un pezzo di pane di miglio havemo da mangiare.*«

[2]) Hic mihi videtur ille *Joannes Zambatel Burkutia*, cujus mentio p. 89. not. 3. occurrit. Illum autem episcopum aut clericalem personam non fuisse vel inde liquet, quod simpliciter »dominus, signore« vocetur, quum e contra Piluzzius in relationibus suis episcopalibus titulum: »Monsignore«, sacerdotibus autem »Padre« semper praeponat. Hac de causa nec nominis corruptionem, ut eam l. c. nota 3, pag. 89. suspeximus, admittere licet.

[3]) *Hammer* l. c. IV. p. 481.

[4]) *Idem.* ibid. *Szinkaj* »Chronicon Rum.« Jassiis 1853. 4 — rum. — III. p. 142. *Kantemir* : »Descriptio Moldaviae hist. polit. Lipsiae : 1771. 8. II. p. 218. et alii.

nuntiat, [1]) quibus in litteris conquaeritur, se fortunas omnes, a latronibus ter impetitum, amisisse, Leopolimque solum veneti mercatoris gratia petere potuisse. [2])

Sacra de propaganda fide congregatio precibus ejus benignam aurem praebuisse videtur, quum litteris de dato: »Vignatello 25 Septembris 1687« [3]) eandem sacram congregationem certiorem faciat, sibi ab apostolico in Polonia nuntio, cardinale *Pallavicini,* itineris socium datum fuisse patrem *Bacc da Monte Filatro,* qui, quum moldavicae missionis aerumnis corporis fractus sit viribus, medicorum jussu vel invitus Italiam repetere fuit coactus.

Sed *Piluzzi* mox in Moldaviam a Polonis evacuatam, [4]) reversus, non diu hac in vinea Domini viribus infractis praeditum agebat operarium. Magnum, firmumque cunctorum his in continuis bellorum adversitatibus fulcrum et solatium quum egiss et, anno 1689, deploratus ab omnibus, extremum vitae diem placida morte confecit, et ejus in locum, qua vicarius generalis mox nominandi baccoviensis episcopi, successit *Felix Bernabei,* fratrum sancti Francisci minorum conventualium religiosus, episcopi Priseni partium infidelium dignitate condecoratus. [5])

Nam Poloniae regi, qui 1691 Moldaviam iterum armis petierat, non parvi res videbatur momenti, denominatum a se Polonum in episcopali baccoviensi sede collocari. Non tam de nominationis jure sibi servando videbatur anxius, quam ut sacerdotalis haec summi momenti dignitas viro conferatur, qui tam gravi temporis puncto, quo potiundae Moldaviae spes denuo fulgebat, auctoritate, rerumque peritia regis prodesset intentionibus.

Episcopi

dignitatem regi praeprimis videbatur promereri vivens in *grodnensi* Praedicatorum ordinis monasterio:

XX. Victorinus Amandus Cseszejko, Lithvanus, eidem monasterio praepositus »Prior,« qui virilis aetatis in flore, triginta trium scilicet annorum, ob praestantes animi dotes et insolitae doctrinae splendorem, speciali regis, cui diversissimis in servi-

---

[1]) *Hajdeu* l. c. p. 263—264 num. XII.

[2]) *Melchisedek* in »Papismul« etc. p. 29 nil aliud affert praeterquam nominationem illius in *episcopum* post biennium in missione moldavica transactum. Subjungit autem, episcopos Leopoli demoratos fuisse, soliusque visitationis causa ad breve tempus in Moldaviam venisse. Cunctae, quas a Piluzzio scriptas adduximus litteras, praeter hanc unam, non Leopoli sed alibi, quodque magis est, in Moldavia plurimae, scriptae erant, et si Piluzzius Leopoli sedem fixit, certe penitus *Vitus invitus* id fecit et ad brevissimum pro rerum circumstantia tempus.

[3]) *Hajdeu* l. c. p. 264—265 num. XIII.

[4]) Cf. *Gebhardi* »Hist. Mold.« in *Guthry et Gray*: Hist. univ. Tom. LVI et LVII. p. 320; *Hammer* l. c. IV. p. 482.

[5]) *Sulzer* l. c. III. in P. Martinotti relatione.

tiis probatus erat, gratia laetabatur. Confidens rex eum non solum gratitudine devinctum, sed ulterius quoque rebus in publicis fideliter sibi serviturum, anno 1693 baccoviensem eum designat episcopum. [1]) Quum autem Polonorum copiae septemtrionalem tantum Moldaviae partem occupassent, quum insuper princeps ipse cum caesareis in *Transsylvania* militibus praefectis, de praestando sibi subsidio, principatuque *Leopoldo I* tradendo transigeret, [2]) Poloniae rex impedire non poterat, quominus nominatus non *Baccoviam* solum, sed ipsam etiam in provinciam venire prohiberetur. [3]) Quin imo tenues baccoviensis episcopatus reditus, primo statim officiolatus *Amandi Victorini* tempore, publico Moldaviae aerario fuerant addicti. [4])

Ab episcopo *posnaniensi*, — *vilnensi*, *lublinensi*que praesulibus assistentibus, — primo statim suae dignitatis ecclesiasticae assequutae tempore, consecratus est.

Amandus Victorinus ergo summis omnium rerum tenebatur angustiis. Itaque regem adiit, qui eum benigne levaret. Hujus clementia quum *mscislovicensem* vilnensis, *Wolamque Zarzyckam*, premisliensis dioeceseos, parochias obtinuisset, [5]) supplici libello de dato: »Varsoviae 31 die mensis Augusti 1694« summum pontificem *Innocentium*, hujus nominis duodecimum precatur, [6]) ut sibi plura beneficia habere liceat, et eo magis, quum et illa, quae regis benignitate sit adeptus, ad condignum vivendi modum nequaquam sufficiant. *Mscibovicensis* etenim, vilnensis dioeceseos parochia, romanorum scutorum annuatim quingenta tantummodo ferrebat, quae exigua pecuniae summa, in loco praesertim a militibus devastato, penitus insufficiens, alterius, premisliensis dioeceseos parochiae, »*Wola Zarzycka*« dictae proventibus non admodum laute videbatur addaucta. Quum autem *msciboviensium* redituum spes indies extenuaretur, et tandem penitus evanesceret, *Wolaque Zarzycka* sola sumptus ad vivendi modum, praesulis ecclesiastici dignitati correspondentem non subministraret, baccoviensis autem dioeceseos reditus fonti similes essent subducto; quumque denique Poloniae rex episcopum *Amandum Victorinum belzensi*, premisliensis, *colomeensi*, leopoliensis et *brodensi* luceoriensis dioeceseos parochiis donasset: [7]) e veritate, non ex opinione

---

[1]) Haec narrantur in illius testamenti tabulis, de dato: Brody 16 Junii 698 quorum in archivo PP. Praedicatorum in *Podkamien* asservatur originale.

[2]) *Szujski* »Hist. Poloniae« Leopoli 1862. 8. — polon. — IV. 11 .

[3]) *Sadok Bazacz*: »Libera civitas Brody« Leopoli 1865. 8. — polon. — p. 71.

[4]) In litteris serius (not. 6.) adducendis, ipse *Czeszejko* summo scribit pontifici: »Ex episcopatu vero nihil percipio, nec possibile quidquam habere stante et durante bello.«

[5]) In litteris ad sedem apostolicam directis, horum facit mentionem.

[6]) *Theiner*: Monum. Pol. et Lith. Romae 1863. fol. III. p. 748 num. 756.

[7]) *Sadok Baracz* l. c. p. 71. Adjicimus e *Stanislai Koniecpolski* diplomate de dato: »Brody 3 die Aprilis 1680,« quo civitatis brodensis census, ad litterarium

judicabimus, pontificem, licet illius desuper emanatas litteras non habeamus, his cumulandorum beneficiorum petitionibus benignum assensum praebuisse.

Amandus, Victorinus Czeszejko, quum omnium sibi commissarum parochiarum Moldaviae finibus proximam, *brodensem* scilicet in sedem suam elegisset, hic tempora statiut operiri pacatiora. Civitas haec a *Stanislao Koniecpolski*, castellano cracoviensi, testamento de dato: Byszcza 22 die mensis Augusti 1682. *Jacobo Sobieski,* regis Poloniae filio natu maximo, non tam venditionis, quam haereditatis donativae titulo fuerat relicta,[1]) quapropter et regi perfacile fuerat, illa parochia, cujus collationis jure filius gaudebat, ad libitum disponere.

Quum *Czeszejko,* licet Poloni nonnullas Moldaviae partes occupatas tenerent,[2]) dioecesim suam visitare, quia nec intrare in illam poterat, fuerit impeditus, illius curam ad interim generali vicario, vel hoc impedito, seu non existente, missionibus praefecto commisit. Uterque tamen, quamvis impositi muneris essent studiosissimi, quum provincia bello flagraret, rei catholicae sublevandae consulere minime poterant. Itaque non solum catholicorum singulis in urbibus numerus apostasiis legitur imminutus,[3]) verum parochiae quoque rectoribus et in genere sacerdotibus destitutae, baccovienseque monasterium ipsum, post *Gabrielis Rakosi,* tanssylvanorum strictioris observantiae Franciscanorum ultimi sacerdotis, decessum, habitatoribus penitus evacuatum.[4]) Horum autem alumnorum, terrigenarum, quos ab apostolico per Poloniae regnum nuntio recipiendos, in Moldaviam deducturum se *Czeszejko* superius in adtractis litteris pontifici promiserat, ulteriorem mentionem nullibi factam reperimus.

---

erectionalium 1594 tenorem eum comprobando, moderatur, censum hunc ecclesiasticum septingentorum et triginta florenorum polonicorum summam adaequasse quidem, sed imposito simul onere, sustentandi coadjutorem, concionatorem et organoedum, reipsa fuisse multo minorem, non obstante poloni floreni valore, qui hodiernis nostris 25 cruciferis aequalis erat, ita ut summa 730 flor. polon. nostrae pecuniae modernae solum 182 fl. 50 cr. repraesentet. Originale documenti repositum in tabula leopoliensi, libro fund. XVII. p. 106. Haered. XXIX. p. 2. num. 4.

[1]) *Idem* ibid. p. 57. Vulgaris traditio fert, Mariam Casimiram, regis Jonis III consortem plerasque rei publicae dignitates plus offerenti vendere solitam fuisse. Ne tamen ejusmodi negotium vitio verti possit, salso quodam, in ambiguum ducendo dicto rem tegebat. Itaque dominum etiam civitatis Brody, quae vox in lingua polonica barbam denotat, quum casu praesens adesset in aula, blandis et per jocum velut hisce — barbam illius prehendens — alloquitur verbis: »Daj Brody, a bedziesz kasztelanem« i. e. »da Brody (urbem scilicet, non barbam) et eris castellanus.« »Broda« — genit: »brody« — partitivus est.

[2]) *Spittler*: »Rerum in Europae ditionibus gestarum adumbratio« Berolini 1794. 8 germ. II. 350.

[3]) E coaevo manuscripto, quod catholicorum numerum in urbibus adeo dicit imminutum fuisse, ut e. g. *Soczaviae* viginti quinque tantum superessent.

[4]) *Kurz.* l. c. p. 82.

Duriori tamen, quam quae reticeatur, *Amandus Victorinus* conflictabatur fortuna. Quum etenim *Turcae, Tatarique* percepissent, Poloniae regem, Joannem III, illum heroem bello fortissimum, scutumque totius christianitatis, mortali naturae satisfecisse, protinus in aciem prodierunt, *Volhyniam* inundarunt et incautos incolas oppressos igne ferroque, bonis omnibus eos expellentes, in exilium, ut ita dicamus, pepullere, et sic illas, quas a mortuo rege toties reportaverant clades, turpissime quidem sed insimul et crudelissime sunt ulti.

Communem hanc *Volhyniae* calamitatem confinis quoque brodensis civitas evitare non potuit.[1]) Ad gravem fortunarum omnium jacturam, hostilis hujus incursus causa perpessam, ipsius quoque parochialis ecclesiae tristis accessit conflagratio.[2])

Iniqua mors episcopum damna resarcire vetuit.

Quum etenim hominem christianum, a Judaeis clam occisum et dissectum audivisset, et horrendi facinoris auctores, ut supplicio plectantur, persequeretur, horum cognati, vel fratres in fide, coquo corrupto, cibis et potionibus lentum immiscent venenum, quo gravem in morbum incidit.[3]) Lethalem hunc futurum praesentiendo, die 16 Junii 1698 testamenti tabulas constituit,[4]) quibus praeter suppellectilem, vestes, equos, currus et argenteria, plus quam octo florenorum polonorum millia — i. e. duorum florenorum millium nostrae modernae pecuniae summam praetio suo repraesentantia — servis, amicis, cognatis et patri, diversisque Praedicatorum ordinis monasteriis, *brodensi* nimirum, *grodnensi, kownensi, podkamenecensi, varsoviensique* dicavit. Pauperrimae suae dioeceseos ecclesiarum autem penitus est oblitus.

In sepulturae suae locum *grodnensem* elegit ecclesiam et sumptibus ad transportandum eo cadaver suum providit. Interim illud in ecclesia Praedicatorum *podkamenecensium* prope *Brody* voluit deponi, simulque dissertis asserit verbis, hoc suum testamentum, cujus ad exequutorem *Adamum Siekierzinski*, pocillatorem braclaviensem constituerat, apostolica sede probante fuisse confectum, adeoque nec impugnandum esse, nec violandum.

Sed qui baccoviensis episcopatus post eum assequutus est dignitatem et praeposituram brodensem,[5]) vix unius anni spatio post sedem vacantem — anno 1699

XXI. Stanislaus Franciscus Bieganski stemmatis *Prawdzic,* sancti Francisci fratrum minorum conventualium religio-

---

[1]) *Balinski* et *Lipinski* l. c. II. 598.

[2]) *Sadok Baracz* l. c. p. 72. Consecrata fuerat sub invocatione s crucis.

[3]) Cf. *Zuchowski*: »Actio criminalis« Smélon 1713. 8, qui libellus hunc fatalem et deplorandum casum liberius pertractat.

[4]) Illas in opere de rebus a Praedicatorum ordine per Poloniam gestis II. p. 65. sq. nota, *Sadok Baracz* integras reproducit.

[5]) *Sadok Baracz* l. c. p. 73.

sus, omnem movit lapidem ut hanc praedecesessoris ultimae voluntatis manifestationem infringat.

Hoc uberius expônere nobis non abs re videtur, quum et quae de *Czeszejko* superius fuerunt adducta, proxime sequentibus optatum adipiscantur supplementum.

Primum ad hujus novi praesulis instantiam *Franciscus Ignatius Wielhorski*, luceoriensis canonicus gremialis et visitator, litteris de dato: »Podkamien 2 Junii 1700, podkamenecensi Praedicatorum monasterio praeposito, cujus sub tutela defuncti res derelictae fuerant depositae, non solum sub sanctae obedientiae virtute, verum etiam »*sub excommunicationis vinculo*« dedit in mandatis: »ne, quum compertum sit, qualiter memoratus reverendissimus *Czeszejko*, praepositus Brodensis, notabiles res in auro et argento a praedicta ecclesia Brodensi sine scitu officii alienaverit, easque partim oppignaverit, partim etiam disperserit, (?) rerum derelictarum quidquam, damnis ecclesiae Brodensi non restitutis, sua sponte praesumat extradere.«[1])

Hoc tamen solo jussu *Bieganski*, baccoviensis episcopus et praepositus brodensis, minime contentus, ad archiepiscopum tarentinum, *Franciscum Pignatelli*, nuntium in Poloniae regno, magnoque ducatu Lithvaniae pontificium, summumque per Poloniam et Lithvaniam rebus in spiritualibus et clerum concernentibus judicem, suam hanc causam defert, quam coram jurisperito sedis apostolicae prothonotario *Septimio Paluzzio*, provinciae lithvanae Praedicatorum ordinis minister provincialis, procurante *Mathia Kolinski*, defendebat.

Quum autem *Bieganski* defraudationes illas, quarum factitatione agitata, memoriae defuncti praedecessoris, in podkamenensi ecclesia grodnensem sepulturam adhuc exspectantis, itaque praesente veluti cadavere, turpem ignominiae notam inusserat, nec ipse, nec per aliquem alium, sui vicarium, probaret, nuntius apostolicus decreto suo de dato: »Varsoviae 5 Novembris 1700« dictam visitatoris *Francisci Ignatii Wielhorski* prohibitionem »in toto« revocavit et cassavit et notarium apostolicum, causarumque nuntiaturae cancellarium *Adalbertum Skwarzinski* publicum desuper instrumentum, utrique parti transmittendum, conficere jussit.[2]) Baccoviensis interim idem episcopus, forte quia persuasum habebat se minus justa petere, generalem quoque Praedicatorum ordinis ministrum *Antonium Noche*, Romae residentem, litteris adierat, ut Praedicatorum ordinis provinciae Russiae provinciali ministro, *Michaëli Czarnowski*, monasterii podkamenensis nuperrime »priori« mandet, ut »procul forensi strepitu«

[1]) Originale, charta, servatur in archivo p. p. Praedicatorum in Podkamien, cujus notitiam et usum, sicut et omnium rem hanc illustrantium documentorum, nullibi promulgatorum, speciali A. R. P. Sadok Baracz gratiae debeo.

[2]) Copia ibid.

petitionibus suis satisfiat. [1]) Factum id quidem litteris de dato »Romae 11 Septembris 1700, sed adjecta conditione: »si praetensio sit justa.« [2]) Testamentum autem pie defuncti *Czeszejko* quoad ecclesiam brodensem haec tantummodo statuebat: »Ex pecuniis ecclesiae brodensis, demptis expensis, mille florenos (polon. = 250 nostrae modernae pecuniae) ad restaurandam parochialem ecclesiam lego. Simulque ex meis argenteriis pelvim cum urceolis dono, marcarum quatuor ponderis et *Augustae Vindelicorum* artificis opus.« Ubi fraus??

Haec tamen rebus, quae *Bieganski* praetendebat, erant multo minora. Sic dictus itaque »prior« podkamenensis, quem insuper et apostolici nuntii decretum tuebatur, et qui fratribus in Christo Polonis et Lithvanis destinata tangere metuebat legata, nec huic magistri generalis, nec *Antonii Massonlie,* ministri generalis vicarii monitis de dato: Romae 23 die mensis Aprilis 1701, [3]) suam prabuit aurem et podkamenensi monasterio praepositus *Thomas Kruszewski,* quem nuntius apostolicus litteris de dato: »Varsoviae 8 die mensis Junii 1701, saltem illud legatum, testemento designatum baccoviensi praesuli, quum simul et brodensis esset parochus, tradere jusserat, [4]) huic jusso non prius obtemperavit, donec episcopus *Bieganski* reversalibus de dato: »Podkamien 13 die mensis Augusti 1701 spopondisset, se monasterium podkamenense propriis bonis patrimonialibus et ecclesiae brodensis reditibus — haec oppignorando — contentaturum, si casu quo praetensiones, brodensis ecclesiae nomine factae, censerentur injustae. [5])

Tradidit igitur *Thomas Kruszewski, Stanislao Bieganski,* cupidos haereditati oculos adjicienti, pecuniae paratae duo polonicorum florenorum millia, mitram episcopalem auream, argento caelati laboris pictam, et tecturam ornandis parietibus inservientem, vulgo »tapety« dictam.

Hujus tamen rei conventae nuntium *Gabriel* inprimis *Smiotanski,* provinciae Praedicatorum ordinis lithvanae praepositus, aegre tulit. Litteris etenim de dato: »Vilnae 17 februarii 1702« provinciae Russiae Praedicatorum ordinis praeposito ministro perscriptis, [6]) dolorem suum acerbissimis testatur verbis, hanc cum episcopo baccoviensi factam fuisse sponsionem, quum pater *Thomas Kruszewski* nullam habuisset authoritatem, res, quae non fuissent sui juris, cum aliorum evitabilium sumptuum inductione, nullo subsellii competentis decreto postulante, manus in alienas foras dare.

---

[1]) Ipsae litterae non existunt amplius, illarum tenor autem patet e responso magistri generalis.

[2]) Copia in pp. Praedicatorum podkamenensium archivo.

[3]) Originale charta, forma epistolae, extrinsecus olim sigillo clausae, *ibid.*

[4]) Originale *ibid.*

[5]) Similiter.

[6]) Eodem loco.

Patris *Smiotanskii* sententiam deridens *Bieganski,* patrem *Kruszewski* litteris de dato: »Ostrow 29 die mensis Aprilis 1702« certiorem facit, se »his diebus« in Poloniam revertentem nuntium apostolicum aditurum, et omnia, nullius ut inde detrimentum enascatur, cunctorum bona cum pace compositurum. [1])

Haec dum aguntur, idem *Gabriel Smiotanski* litteris credentionalibus de dato: »Vilnae 1 die mensis Julii 1702« *Samueli Borejko* dat in mandatis, ut episcopi baccoviensis *Amandi Victorini Cieszeyko* mortales, depositas in ecclesia podkameneusi, reliquias ad aeternae quietis locum, testamento designatum, in patrum scilicet Praedicatorum grodnensium ecclesiam deducat. [2]) Huic *Borejko* podkamenense monasterium die 20 Octobris contestatum est, ab eo dicti baccoviensis episcopi mortales exuvias in omnium monasterii membrorum praesentia levatas fuisse. [3])

Ossa *Czeszeykii* quum in grodnensem ecclesiam fuissent perlata, sepulturaeque ritu solemni data, Lithvaniae Praedicatorum ordinis provincia consilium cepit, e czeszeikiano sibi destinato legato, quia de statua sancto Dominico *Romae* perigenda multum agitabatur, hunc in finem, quingentorum florenorum polonorum summam ordinis generali ministro cedendi, [4]) qui litteris de dato: »Romae 7 die mensis Julii 1704« *Thomae Kruszewski* dedit in mandatis, ut praefatam pecuniarum summam, via cambii, quamprimum Romam transmittat, [5]) et 20 die mensis Octobris 1703 *Stanislao Bieganski* pro simili summa, quam in eundem finem elargitus esset, gratias egit. [6]) Eadem quoque die generalis ordinis minister *Thomae Kruszevski* nuntiat, se cambium accepisse, [7]) simulque *Bieganskii* datarum ad se litterarum facit mentionem.

Nihil igitur impedit, quominus, hoc baccoviensis episcopi dono, motam de praedecessoris haereditate causam penitus sopitam fuisse arbitremur. Nullum saltem ulterius vel leviter impressum illius occorrit vestigium, e quo cognoscere, vel saltem tuto conjicere liceret, rem aliter se habuisse.

His expositis ad res per Moldaviam catholicas revertamur oportet.

Hae majora in dies videbantur incrementa capere posse. Christianorum enim principum initae cum *Turcis* pacis illius, quam »Carlovicensem« vulgo dicunt, instrumentum, de dato: »15 Januarii 1699«, quoad catholicae fidei hac in provincia professionem, articulo septimo sequentia distinctis continet verbis: »Christi doctri-

[1])—[2]) Eodem loco.
[3]) Historia domus eorundem RR. PP. ad annum.
[4]) In archivo monasterii podkamenensis.
[5]) Eodem loco.
[6]) Similiter.
[7]) Item.

nam sequentibus monachis et aliis quibuscunque, summi pontificis a regimine dependentibus, ad priorum ottomanicae portae concessionum contenta, licitum sit, omnibus in locis, in quibus ecclesias habent, solitis caeremoniis cultui divino inservire. Caeteras illorum, sejunctas a fidei monitis necessitudines, majorisque momenti causas, rei publicae polonae sublimem ad portam ottomanicam nuntius curae habebit.« [1])

Nihilominus et nunc quoque res ecclesiastica romano-catholica similiter iisdem quibus antiquitus laborabat malis. Terrae principibus, maximam ad partem ex urbis constantinopolitanae, Graecis habitata, »Phanar« dicta parte provenientibus, ideoque »Phanariotae« posterorum per despectum vocatis, et nunc etiam sese — post paucissimos regiminis annos — iterum ac iterum excipientibus, pecuniae quidem omnimodo conflandae, non autem ecclesiarum, insuper catholicarum — publicis vel suis sumptibus — juvandarum consilium in animum erat adductum; sacerdotum, ut antea semper, maximus defectus fideles quoque affligebat, ut periclitantibus illorum animabus auxilium ideo fere nullum subministrari potuisset. Insuper onus a republica vectigalibus impositum grave, vastationes agrorum, repetitis vicibus ab hoste, locustisque perpessae,[2]) deplorandae *Francisci* denique *Rakoczy*, Transsylvaniae principis, Moldaviae potiundae causa motae turbulentae contentiones; [3]) haec omnia singulorum patientiae lapis quidem lydius fuerunt, nequaquam tamen majori fidelium reique catholicae favebant incremento.

Caeterum *Stanislaus Franciscus Bieganski* vir fuisse videtur, qui pacatiori tempore dispersorum per Moldaviam catholicorum communi saluti, prout et utilitati rei catholicae plurimum profuisset. Nam simplex olim religiosus quum esset, cordis candore, morum integritate, non solita religiosis comitate, singularique facundia tantam authoritatem apud omnes assequutus est, ut fratrum minorum *varsoviense* monasterium (cujus fundamenta *Hadrianus Piedrzykowski,* »loci guardianus« 1646 jecerat, et *Nicolaus Poplawski,* canonicus officialis varsoviensis, quum terrae superficie jam essent altiora, 2 Augusti 1679 solemni ritu Deo dicaverat, quae tamen ob sumptuum defectum ulterius produci non poterant) illius intercessione, congestis a magnatibus, et inter plebem pecuniis, feliciter sub tecto steterit. [4]) Deinde provinciae sui ordinis polonae praeposi-

---

[1]) E contextu turcico in annalibus *Raschid Effendi* Tom. I. p. 250, traduxit in linguam polonicam *Sekowski* in opere, cui titulus: »Collectanea e turcicis rerum gestarum scriptoribus.« Varsoviae 1842. 8. p. 194 sq.

[2]) »Cf. Ephemerides instituti publici nationalis nomine »Ossolinski« Leopoli 1828. 8. — polon. — I. 4. pag. 125.

[3]) Cf. *Fiedler*: »Acta ad Franc. Rakoczy res gestas« in fontibus rerum austricarum, viennensis caes. regiae scientiarum accademiae curis edit. Tom. XVIII. part. 1. p. 304 et 310.

[4]) »Ecclesiae Varsovienses,« authore *Bartoszewicz*. Varsoviae 1855. 8. — polon. — p. 206—207.

tus factus, quum eo munere cunctorum ad laudem functus fuisset, provinciae Russiae visitator est creatus, et publicis quoque meritis suis ipsius regis in se convertens oculos, baccoviensem collatum sibi vidit episcopatum, non sine firmissima spe bonorum omnium, sub illius auspiciis rem catholicam in Moldavia demum prosperaturam.

Sed illi quoque, prout vidimus, temporum ratio, simul et redituum episcopalium parsimonia summum rerum gerendarum obicem posuerant, quapropter in *Ostrog,* Volhyniae civitate, sedem suam fixit, ubi octavo post adeptam episcopalem dignitatem anno — 1709 — diem clausit extremum.

His diebus patres praesertim societatis Jesu, qui *Jassiis* et in *Kotnar* domicilia habebant, animarum insudabant curae. Domui Jassiensi praepositus simul et missioni praefectus *Stanislaus Scietnicki* et successor illius *Martinus Czernoginski*, cum superiore Kotnarensi *Francisco Tomanowicz,* [1]) quae poterant agebant, ut crebris excursionibus fidelium spiritualibus necessitatibus satisfiat. Juvabantur ab aliquot sancti Francisci minorum conventualium religiosis, Italis, per terrae vastitatem dispersis, penitus autem insufficientibus numero.

Bieganskii successor in episcopatu nominatus fuit.

XXII. Thomas Hanuszewicz, ordinis Praedicatorum, sacrae theologiae doctor, Lithvanus, ac de lithvana sua meritissimus ordinis provincia. Monasterii grodnensis etenim specialis benefactor fuisse legitur. Ditato scilicet pluribus utensiliis monasterio, plus quam quinquaginta florenorum polonorum millia, seu plus quam 10000 flor. nostrae pecuniae, licentia ministri generalis non denegata, donavit eidem, seu potius intulit domui, postmodum autem ipsam ordinis Lithvaniae provinciam singulari dexteritate, magnaque cunctorum satisfactione regebat. A *Stanislao Leszczynszki* Poloniae rege nominatus quidem fuit baccoviensis episcopus, attamen non consecratus. Nam elector Saxoniae, *Fridericus Augustus*, quum anno 1698 juramento publice dato lutheranae renuntiasset haeresi, Poloniae regni coronam, fortuna tamen inclinante, capiti suo vidit impositam. Notum siquidem est, *Carolum,* hujus nominis duodecimum, Sveciae regem inter et *Petrum,* Moscoviae dominum, qui »Magnus« vulgo dicitur, bellum exortum fuisse, cujus in decursu *Carolus,* quum *Augusti,* Poloniae regis initam cum Mosco societatem aegre ferret, ideoque *Stanislaum Leszczynski* in regale Poloniae solium evexisset, 27 Junii 1709 ad *Pultavam* devictum, *Stanislao* quoque *Leszczynski* tantam rerum parasse ruinam, ut regno cedere, sibique turpi fuga consulere coactus fuerit. *Thomas* igitur *Hanuszewicz*, ut a deposito rege nominatus, rerum publicarum facie commutata, rever-

---

[1]) E reliquis pagellis diarii seu historiae quondam domus patrum societatis, Jassiis, in missionis archivo.

soque priori rege, *Thomam*, *Stanislai* aemuli asseclam futurum judicante, nominationique propterea penitus adversante, consecrationem non ambiebat amplius, verum demissam simplicis religiosi ducturus vitam, in monasterium infiliationis suae grodnense rediit, ubi virtutibus clarus anno 1757 diem clausit extremum. [1])

Ejus in locum baccoviensi mitra decoratus est:

XXIII. Joannes Damascenus Lubieniecki, qui septemdecim juvenis annorum quum esset — 1668 — cognita mundanarum illeaebrarum vanitate, Praedicatorum ordini Varsoviae nomen dederat, ibique scientiarum elementis fuerat imbutus. Galliam postmodum, Italiamque visitavit et omnium optimarum artium disciplinis instructus, Romae thesium theologicarum defensionem in generali capitulo tam praestantis doctrinae laude suscepit, ut congregati patres animi voluptate summa perfusi, theologi casanatensis illi communibus votis decernerent dignitatem. [2]) Roma Varsoviam reversus, bis ibidem monasterio praefuit. Tandem in capitulo *lancucensi*, quod anno 1705 celebrabatur, polonae Praedicatorum ordinis provinciae moderator est electus. Hoc munere summa laude fungebatur, et quum insuper animarum salutis cupidissimum integerrimaeque vitae pastorem ageret, sacraeque dictioni medium in agmen educendae tam naturae quam doctrinae praesidiis esset paratissimus, meritorum illius fama perfacile ad aures Poloniae regis pervenit. *Augustus* igitur *secundus* anno 1711, quum Joannis Damasceni virtutes perspiceret, effecit, ut a summo pontifice *Clemente*, nominis hujus undecimo, baccoviensis episcopus crearetur. [3])

Paternum illum, quo dioecesim suam complectebatur amorem et zelum, necessitudinibus illius occurrendi quo flagrabat, illa manifestat relatio, quam peracta Moldaviae visitatione canonica, Varsovia, hoc e consueto sibi residentiae loco, Romam anno 1714 perscripserat. [4])

Ibidem frustra quereres itineris longi continuique descriptos labores, taedia vel pericula sermonibus usitatis commemorata. Similiter inaniter exoptares terrae faciem, incolarumque mores vel vivendi consuetudinem, etiamsi breviter illustrata verbisque definita.

---

[1]) *Sadok Baracz* l. c. II. 71, ubi tamen *Hanuszewicz* erronee post serius sequentem baccoviensem episcopum, *Thomam Zateski* ponitur. Notum etenim est, *Stanislaum Leszczynski* 12 Septembris 1703, quo tamen anno *Zateski*, qui falso *Zaleski* dicitur, mortuus est, secundo regem Poloniae renuntiatum fuisse, sed eodem adhuc anno *Gedanum*, et *Gedano* generi sui, Gallorum scilicet regis in aulam confugisse, quapropter de nominando baccoviensi praesule certo certius ne cogitare quidem poterat.

[2]) Hanc thesium defensionem quum 1686 Romae publicam in lucem edidisset, Poloniae regi dedicavit.

[3]) *Sadok Baracz* l. c. p. 69.

[4]) Primum Ms. olim in comitum *Zaluski* bibliotheca nunc Petropoli in c. r. archivo servatur.

Totus enim in eo versatur, ut sanctissimo patri referat, quam misera sit baccoviensis dioeceseos conditio, et quae remedia, summo pontifice, Poloniaeque rege collaborantibus, gravium malorum, ne latius opinione disseminentur, sanatio requirat. Dolet imprimis in Moldaviae provincia, tam crebris, tamque cruentis bellis, ac praedabundis vicinarum tatararum gentium incursionibus [1]) toties depopulata, deducendarum coloniarum illam usuvenisse rationem, ut advenae nullo gentis, eapropter et absque divinae doctrinae respectu, ponendis in pagis collocarentur. Catholicos igitur, homines plerumque tennioris ordinis, pauperes ac spirituali solatio destitutos, non sine magno salutis aeternae periculo, schismaticorum, graeci ritus unitorum, germanicae vel armenicae haereseos asseclarum et Judaeorum promiscue fieri vicinos, quibus maximo merito sit ducendum, si dominicis vel festivis diebus in aliquo vili horreo, sub crucifixi, publicam viam ornantis effigie, vel in privato denique cubiculo communem ad orationem congregantur. Parochiales ecclesias, longo dicit disjunctas viarum intervallo, vel sacerdotibus, vel sacra suppellectile, vel sumptibus carere, quae restaurandis ipsarum ecclesiarum, vetustatis dente corrosarum damnis inservirent. Cathedralem baccoviensem ecclesiam ipsam narrat *Bistritiae* fluminis undis, eam subluentibus, jam diu corruisse, ligneamque, divinae gloriae, cathedralisque sedis penitus indignam, ultimo necessitatis casu permanente, suffectam fuisse, et unam solummodo sacram aedem societatis Jesu patrum, in *Kothnar,* diligentissime, studiosissimeque curari. Sanctissimum igitur patrem orando flectere conatur, ut misericordia commotus, de conducendis idoneis animarum pastoribus omni convenienti modo providere, Moldaviaeque rei catholicae subsidium annuum subministrare vel ipse dignetur, vel ut hi in vinea domini operarii Poloniae regis conquirantur gratia, certumque illis subsidium ad vitam honeste ducendam subministretur. Non arbitratur hoc Christi vicario effectu difficile futurum, quum tantae sit inter christianos principes authoritatis.

Quae tamen hac relatione petitioneque sua, si non statim, saltem serius perficienda, veritatis amans indicavit, tristem profecto rei per Moldaviam catholicae hoc tempore statum nostros ponunt ob oculos.

Invida fata praestantem virum hunc eodem anno 1714 grassante peste correptum in podlachiensi terra vita privarunt. [2])

Praedicatorum ordinis patres *varsavienses*, quibus magni

[1]) Ultima harum irruptionum 1711 post pacem ad Huschium compositam, facta fuit. Quum enim *Tatari* contentandi essent, qui Moscovitis auxilio fuere, nec pecunia sufficeret, Moldaviae praedandae illis licentia data fuit. Cf. *Hurmuzaki* l. c. Tom. VI. p. 194, num. CXXVII de dato: »Saxia 29 Julii 1711«.

[2]) Cf. *Orgelbrandi* Encyclopaediam, quae nostris diebus Varsoviae, plurimis collaborantibus, publicam in lucem prodire coepit. Tom. XVII. p. 658.

praetii bibliothecam, ornamenta sua pontificalia, *Piique* quinti, pontificis maximi, sanctorum in numerum relati, missale sempiternam in sui memoriam reliquerat, defunctum in ecclesiae suae sacello, sancto Dominico dicato, quietis aeternae loco donarunt. [1])

In episcopatum autem baccoviensem suffectus est anno 1715:

XXIV. Hadrianus Skrzetuski, sancti Francisci fratrum minorum conventualium religiosus, quem *Augustus* secundus, Poloniae rex, insolitum ob ingenium et singularem ob prudentiam, vitaeque religiosae, laudatae sibi, candorem, dignum arbitrabatur, qui ad sublimiorem ecclesiasticum honorem evectus, plurimis in exemplum salutare ponatur. Itaque baccoviensis a rege nominatur episcopus. Attamen, antequam illius nominationi Roma consensum praebuisset, obdormivit in Domino. [2])

Annales domestici fratrum minorum conventualium varsovienses narrant, hoc monasterium pestis — anno 1708 — grassantis causa cunctis habitatoribus vacuum, et petulantium hominum insolentia ruinae proximum fuisse; post quinquennium tamen ministrum provincialem *Elbing*, loci guardianum *Gabrielem Wieliziewicz* et *Hadrianum Skrzetuski* fidelium erogasse subsidium, quo damna fuerint resarcita. [3])

Inde conjicere licet, *Skrzetuskium* conciliandorum sibi et movendorum animorum haud levem artem novisse, qua diversissimos licet inter homines positus, Deo favente, rei per Moldaviam catholicae modum in efficacissimum deserviisset.

Successorem illi daturus Poloniae rex, fratrum Franciscanorum juri, cum Praedicatorum ordinis religiosis episcopatu baccoviensi vicibus alternis donari, irrita *Hadriani* nominatione nequaquam satisfactum esse ratus, et illis meritis, quae temporis decursu in promovenda per Moldaviam re catholica cumulaverant, condignum, usuque longaevo veluti sancitum praemium praeslotaturus, apud *Clementem* undecimum, summum pontificem facillime perfecit, ut

XXV. Josaphat Parysiewicz, ordinis fratrum minorum conventualium, origine Lithvanus, in vacantem baccoviensem provehatur sedem.

Moldavia tunc temporis semper adhuc tristem praeseferebat rerum faciem. *Tatari* scilicet districtum *Niamtz, Soczawa* et *Roman*, *baccoviensem*que, opulentas ot hominum et pecorum praedas agentes inundarunt, et aliarum terrae partium incolae, si non vitae, libertati saltem praeprimis consulere cupientes, bonis omnibus relictis in *Poloniam*, *Hungariam* et *Transsylvaniam* fugam capesserunt. [4]) Longum tandem post tempus reversi, lugebant ecclesias exustas, domos

---

[1]) *Sadok Baracz* l. c.
[2]) *Kurz.* l. c. II. p. 21.
[3]) *Bartoszevicz* l. c. p. 208.
[4]) *Melchisedek*: »Chronicon Romanense« I. p. 351.

dirutas, agros devastatos, et sibi summam, quin imo penitus exitiabilem inopiam et famem esse pertimescendas. Episcopi quoque reditus, alioquin parcissimos, his in circumstantiis fere nullos fuisse, non est, cur fusius commemoretur.

Utrum igitur *Parysiewicz* parochia quadam a Poloniae rege donatus fuerit, aut — licet episcopus — pauperis religiosi contentus vita, subdelitaverit in monasterio, nescitur. Dioecesim vero suam vel semel visitasse nullibi legitur. In illa tamen fidelium corda speciali pietatis in Deum affectu flagrasse, fidelesque non defuisse, qui ad levanda mala paratissimi fuissent, terrae quoque principem rei catholicae favisse, quin ipsum etiam Turcarum imperatorem, supremum in Moldaviam jus habentem, in adhaerentes christianae doctrinae non hostiles aminos aluisse, tam multa documenta perhibent, ut nullum sit dubium, episcopum — modo praesentem — affabili colloquio, persuasione, precibus et similibus multa perficere potuisse.

Illorum vel unum alterumve, publicorum documentorum authoritatem sequentibus nobis, evincat exemplum.

Achmetes III. litteris patentibus de dato: »Constantinopoli, mensis Schaban ultima decade 1126 — 1714 — ad Moldaviae principem datis,[1]) illi catholicorum liberum fidei suae tuendum commisit exercitium, et apostolicus viennensem ad aulam nuntius *Dusini,* forsitan *Parysiewiczii* vei saltem missionibus praefecti petitionibus ad id commotus, litteris suis de dato: Viennae 6 Junii 1716 sacrae de propaganda fide congregationi consilium proposuit,[2]) ut ad evitandum in Moldavia missionariorum defectum, in proxima *Transsylvania*, nimirum in *Maros-Vasarhely* et in *Csik* seminaria condantur, in quibus alumni, missionibus moldavicis applicandi, linguarum praesertim notitiam adipiscantur, quod commode quoque Romae in sacrae congregationis institutis fieri posset, ut hac ratione successu temporis inveniantur, qui terrigenas ad missionarii munus alliciant et allectos erudiant. — His addamus tertium exemplum. In Kothnariensis civitatis magistratu »scriba« quidam polonus, quod modernum publicum notarium et translatorem designat, documentis polonica lingua condendis vel in linguam valachicam vertendis designatum, vivebat, *Francisci Xaverii Strachocki* nomine notus. Moldaviae princeps *Michaël Rakowitza*, fidelia viri servitia remuneraturus, binis illum diplomatibus, de dato scilicet: »Jassiis 24 Decembris 1718[3]) et 16 die mensis Augusti 1720«[4]) terrestribus donavit possessionibus. In missionis autem per Moldaviam catholicae majus incrementum, harum omnium, demptis bubus, vaccis, equis, equabus,

---

[1]) Orig. pap. pat. in archivo franciscanorum Jassiis.
[2]) *Hajdeu* l. c. 273. num. XX.
[3]) *Kodrescu* »Diplomatarium« V. p. 405—406. — rum. —
[4]) *Idem* ibid. p. 403—405.

apium alveariis, ovibus, porcis et diversi generis vestimentis, quae *Helenae Miskocz*, uxori suae legaverat, idem *Strachocki* patrem *Martinum Kermoczynski*, »residentiis [1]) utrisque polonorum societatis Jesu patrum, in *Kothnar* et *Jassi* praepositum superiorem«, [2]) testamento de dato: »Kothnar 12 die mensis Octobris 1724« instituit haeredem quum et »vita durante« rem catholicam largissimis juvasset donis. [3])

Strachockii [4]) donationem litteris de dato: »Jassiis 15 Martii 1731 terrae princeps *Gregorius Ghica* confirmavit, [5]) qui pronepos erat illius Moldoviae principis, qui 1658 provinciae hujus dominium erat adeptus, reique catholicae singularem in modum favebat.

His temporibus animarum fidelium per Moldaviam curam societatis Jesu patribus magnam ad partem commissam fuisse, vel ex adducta *Strachockii* testamentaria dispositione liquet, similiter quoque conjicere licet, *Joannis Damasceni Lubieniecki* petitionibus, ut in moldaviensem Domini vineam linguarum compertes mittantur operarii, patrum ejusdem societatis Jesu numerum adaugendo satisfactum fuisse. Gaudebant etenim in affini *Polonia* multis, sacerdotum frequentia, doctrina, pietate, linguarum peritia notissimis et domibus professis et collegiis. Hoc eo majori Moldaviae cedebat beneficio, quo sacra de propaganda fide congregatio, minime notas ob causas, cunctabatur nuntii *Dusini* sequi consilium.[6])

Caeterum terrae princeps, ut mox dicetur, et alia ratione rem catholicam juvabat, quem, rerum publicarum summa quum potitus fuisset, facta sequebantur, ut patris patriae cognomine merito condecoraretur.

Parysiewicz quo loco, quove temporis momento mortalitatem expleverit, ignotum est. Verosimiliter tamen exeunte anno 1729 vel ineunte 1730 diem clausit extremum.

Ejus pium post obitum.

XXVI. T h o m a s Z a t e s k i stemmatis S z l u b i c z, sacrae theologiae doctor, anno 1730 baccoviensis episcopus nominatur quidem, sed ante consecrationem, quam *Cracoviae* proposuerat exspectare, cunctis inopinate cessit e vivis. Fuerat ille Praedicatorum ordinis religiosus, vitae candore, pietate, prudentia, rerumque publica-

---

[1]) Hoc termino technico paucorum religiosorum intelligitur habitatio.

[2]) Testamenti verba sequimur, licet mirum nobis videatur et penitus insolitum, patrem *Kermoczynski* duabus, locorum intervallo dissitis, praepositum fuisse *residentiis*, licet paucorum mansioni, cui e contra *unius* vel *duorum* sacerdotum sedes, nomine *missionis* opponitur, plurium autem *collegii* nomine venit. *Domus professa* quatuor votorum solemnium congregat religiosos.

[3]) *Kodresku* l. c. p. 406—409.

[4]) *Melchisedek* p. 33 Strakowski eum, sed perperam vocitat.

[5]) *Kodresku* l. c. p. 409—413. Sequentes confirmationes adducit. pp. 430—335.

[6]) Cf. Nilles l. c. II. p. 1022. sq.

rum peritia laudatissimus, olimque Luceoriensi monasterio praepositus. [1])

Successor illi datur ineunte anno 1731. [2])

XXVII. Stanislaus Raymundus Jezierski, stemmatis Nowina, Praedicatorum pariter ordinis, pariterque sacrae theologiae doctor.

Hic postquam *Lublini* religiosam induerat vestem, [3]) tyrocinioque peracto domesticis vacaverat studiis, *Florentiam* missus, scientiarum in curriculo progressus est eo, ut in patriam reversus, non solum juniorum sui monasterii religiosorum in philosophiae, theologiaeque disciplinis magister crearetur, verum etiam brevi *Cracoviam* vocatus, ampliorem campum nanciscatur, quo parata sibi rerum cognitione quam latissime liceret excurrere.

His tamen litterarum pertractationibus minime contentus, incorrupta, promptaque sermonis integritate conspicuum insuper verbi divini praeconem agebat. Corporis forma licet non esset egregia nec eximia facie, morum velut ingeneratorum sibi suavitate, polita litterarum varietate, verbis delectis, voce dulci, canoraque prolatis et omnium permulcentibus animos, non populi solum favorem sibi collegit, sed summae quoque potestatis virorum sibi comparavit gratiam. *Augustus* igitur *tertius* tanti respiciens viri dotes et merita, sede baccoviensi post *Thomam Zateski* vacante, summo pontifici per *Joannem Lipski*, sacrae romanae ecclesiae cardinalem et cracoviensem antistitem persuasit, ut Thomae, ante consecrationem defuncti, successor nominetur. [4])

Nominatum, 4 Maji 1731 idem *Joannes Lipski* solemni pompa sacris in *Kielce* sublimiori Dei servitio dedicavit ordinibus. [5])

Omnes rerum gestarum scriptores, qui rem quoque Moldaviae catholicam pertractarunt, in eo consentiunt, praecedentium baccoviensium episcoporum nullum ardore tanto, suarum quae partium essent, flagrasse, tot et tanta, labore non inmolesto, molitum et assequutum fuisse.

Haec sententia rectissime et sustinetur et tuetur.

Sed antequam omnibus communem hanc de praesule *Jezierskio*

---

[1]) *Sadok Baracz* l. c. II. p. 70 et nota 128.

[2]) *Melchisedek* in »Papismul« etc. p. 32—33 dicit quidem, anno quoque 1740 Joannem Damascenum Lubieniecki baccoviensem episcopum fuisse, simulque testimonio *Le Quain*, sine quaquam tamen ulteriori locorum significatione, *Szinkajque* Chronicon I. p. 340 testes adducit, quos tamen vel ideo rejiciamus oportet quia terrae princeps — ut statim videbimus — dum 27 Augusti 1731 episcopo deducendorum colonorum potestatem concedit, distincte *Rajmundum Jezierski* modernum episcopum nominat, *Zateski* et *Skrzetuski* autem in dubium vocari non possunt, **post** *Lubienieckium* nominati.

[3]) *Sadok Baracz*, p. 71. l. c. *Janocki* perperam asserit (p. 62.) Rajmundum Cracoviae Praedicatorum ordini nomen dedisse.

[4]) *Sadok Baracz* l. c.

[5]) *Idem* ibid. p. 72. sed annum ponit 1738.

Pages 111-112 missing

rum, quam pater *Pesci,* missioni catholicae per Moldaviam praefectus, e piis fidelium donis collegerat, huic fabricae designavi. Numerus in urbe cunctarum animarum quadringentas paululum excedit, sed quum *Chotinum* usque *Jassiensis* protendatur *parochia* [1]) pluribus quam plerumque hic residentibus opus esset sacerdotibus, licet eos duo societatis Jesu patres, qui Poloniae provinciae praeposito subsunt, [2]) et hic latifundium possident, [3]) indefesse juvent. Ubique-proh dolor! operarios vinea Domini desiderat. Nam et in *Kothnar* e lapide structa, quondam eorundem societatis Jesu patrum ecclesia, modo deserta, publicoque cultui divino apparatu, qui nescitur ubi sit, penitus destituta. [4])

»Praedicatorum ordinis et fratrum sancti Francisci minorum conventualium hic olim fuisse traduntur monasteria, quod effecit, ut in cogitatione, curaque tota mente verser, maximam, qua hic laboratur, sacerdotum penuriam ullo sine labore sumptuque levari posse, religiosorum ordinum quilibet si unum saltem suorum hic mitteret

---

[1]) Plures adhuc exstant, quas et in Jassiensi parochiali vidimus archivo, turcicae salvi conductus litterae, patribus Jassiensibus, quoties in spiritualibus negotiis *Chotinum* se conferebant, a chotiniensi arci praefecto, securioris reditus causa datas. Ipsi hujusmodi documenta nonnulla possidemus, quae, materiei praesentium paginarum comportandae studiosi, privatis debemus.

[2]) Hanc provinciam saeculo XVI constat exordia cepisse. Collegium etenim *posnaniense* erigitur anno 1571, *jaroslaviense* 1573, *lublinense* 1582, similiter *cracoviense*, *calisiense* 1584, *leopoliense* 1585. etc. etc.

[3]) *Kodrescu* l. c. V, p. 415—418 reproducit elenchum omnium patribus societatis Jesu in Moldavia successu temporis inscriptarum possessionum terrestrium, quem elenchum pater *Adamus Warylkowicz* ejusdem societatis, die 15 Junii 1748 confecerat et quem elenchum, publici magistratus nomine, subjudex de *Reducani,* subscriptione sua, sigilloque veritati consonum esse probavit. Hunc elenchum *Warilkowicz* — ut ipse dicit, — conscripserat, ne jura patrum haereditaria pereant, quum *kothnariensis* residentiae superior *Franciscus Tomanowicz* omnes jassienses publicas donationum litteras *Camenecium* — quo, ne *Turcis* in manus incidat — confugerat, abduxisset, ibique, nihilominus per Turcas captus amisisset. — »Fundatoribus non gaudentes — verba sunt *Warytkowiczii* — benefactores tantum habuimus.« »Horum nomina donaque fuere: 1° *Georgius Kasparski*, scriba polonus, qui partem suae possessionis *Toksobeni* vocatae, prope *Pruthum* dono dederat.*) 2. *Ruszczyc*, rottomagister equitatus terrae principis, qui priori contiguam possessionem suam *Dumeschti* donaverat.**) Prope Jassios sita possessio *Orlesti,* ***) cum agris, sylvis et foenetis, quam superior Jassiis *Stanislaus Scielnicki* nongentis florenis e Polonia secum adductis comparaverat. Haec latifundia testatur societatis Jesu patrum fuisse: »*Sacerdos senex*, acsi starem coram Dei tremendo judicio.«

[4]) Cur et quando societatis Jesu patres e »*Kothnar*« migraverint, non liquet.

---

*) Hujus loci non fit mentio in dictionario topographico-statistico quod cum approbatione summorum Rumaeniae regni magistratuum Bucuresti 1872. edidit *Demetrius Frundescu.*

**) In superius adtracto dictionario p. 179 in ambitu jassiensis judicii.

***) De hoc pago plurimae principum litterae testantur, quibus possessionarium societatis Jesu patrum jus in illum confirmatur et privilegia conceduntur, vel metarum reambulationes etc. injunguntur.

sacerdotem, cujus vitae necessitatibus monasterium, e quo venit, facile providere posset. *Sabaonensis* tamen ecclesia, licet parva sit et lignea, parochum habet, fratrum sancti Francisci minorum conventualium religiosum, qui uno licet calice tantum et una casula sit provisus, fideles, spirituali curae suae commissos, octingentos numero, laribus angustis contentus, in christianae veritatis et virtutis tramite progredi docet. Superest quidem et altera ecclesia, sed vetustate destructa, tectoque carens, cujus inter muros ab antiquo catholici mortuos suos sepelire consueverunt. *Sabaonensis* parochus ad *Tomasieni* simul excurrit, ubi ducenti fideles in parva, lignea, pauperrima, nulla possidente utensilia, domo Dei, sacrum ad officium convocantur et congregantur. Ecclesia *Faraonensis*, ad quam ultra duo millia pertinent animarum, angusta quidem est, sed similiter sacerdote fratrum sancti Francisci minorum conventualium e numero gaudet, qui simul *Kalugeram, Baccoviam*que solet excurrere, et ciborium quum desit, sanctissimum in parva pera seu marsupio secum gestare. Instructus est etenim summi pontificis in pergameno scripta concessione, bina missae sacrificia, sed in binis diversis ecclesiis, una eademque die celebrandi. Parvam, ligneam, sacerdote, suppelectilique carentem ecclesiam *Kalugerensem* quingenti fideles frequentant, et totidem etiam similem *Huschiensem*, quae raro sacerdotem videt. Centum animae *Gasacensi* parerent, si esset, pastori. *Tiburtinenses* in *Tataria* pauperrimi, *Soczavienses* autem, ut *Tiburtinenses* numero ducenti, similiter egeni, et sacerdotem desiderant, cujus alendi copia miseris denegatur. Sic ovile Domini velut ovium in dispersione, nec sunt, qui eas atris curis solliciti levent et tristibus temporibus tueantur et defendant. Quin imo, sacerdotes ipsi schismaticorum episcoporum judiciali foro per nefas subjiciuntur, pessime tractantur, nonnunquam et incarcerantur et ideo, pusillanimi facti, suos fideles interdum nec tueri nec defendere audent.«

Et hoc recte quidem animadvertit. Nam quis contra torrentem? et quis in jure dicundo contra libidinis immoderatam licentiam? [1])

---

[1]) Manuscriptum *Bonaventurae Makowski* nonnulla huc referenda narrat exempla, quae demonstrant, et ottomanicae portae decretum, catholicis liberum fidei concedens exercitium, et principum exemptiones nihili factas fuisse. Multa quidem *Melchisedek* in saepius citato: »Papismus« etc. p. 33—34 profert, quae romano-catholicos episcopos, itaque missionibus etiam invigilantes arguant culpae, in sacerdotes religiosos, cum laesione quoque religionis praescriptorum et conscientiae dominari voluisse, qua perversa procedendi ratione rixae, mutuae invidiae, animos exaggerantis, manifestatio fuissent ortae, quae cuncta missioni, seu rectius rei catholicae propagandae, consolidandaeque, juxta dictum illud: »Regnum in se divisum collabitur« summo fuissent detrimento. Nobis haec omnia dicta videntur, ut genuina veritas obfuscetur, lectorque celetur circumstantia, non catholicos, sed schismaticos episcopos fuisse, qui sibi subigere tentabant in vinea Domini laborantes sacerdotes catholicos, tam saeculares quam religiosos, de quorum renitentia nullus rom. cath. episcoporum in visitationis peractae relatione vel minimo verbo conquestus est unquam, praeter *Quirinium*.

Relationis autem hujus quod adhuc reliquum superest, enixae sunt preces, ut summus pontifex huic dioecesi succurrere dignetur, quae, quametsi pastores episcopos habuerit, officii commissi conscios et animarum salutis cupidissimos, illis tamen in egestate positis, et alienis in terris domicilium figere coactis, et vel ideo perraro vel nunquam etiam oves suas visitantibus, sterili similis reddita sit agro, qui praecunctis »*cunctis*« inprimis opus haberet, ut assiduo renovetur aratro. Suarum quae partium essent, libenter se praestiturum, et id unum animo se periniquo pati, his in terris rei catholicae malis et vulneribus tamdiu mederi non posse, donec sedem episcopalem vel *Baccoviae*, vel alibi Moldaviae locorum ipse successoresque sui fixissent. Habitationem autem in Polonia, tam dissitam, negotio pro munere fovendo minime prodesse, praesertim autem episcopo sufficientibus destituto proventibus, quorum defectu longum nimis et non minus sumptuosum in dioecesim suam iter suscipere vel invitus impediatur.

Interim quae *Jassiis* aedificari coepit ecclesia, quum, non obstante per Turcarum caesarem liberi religionis exercitii concessione, Moldaviae principe jubente diruta fuisset, [1]) et quum in agendorum negotiorum alluvie baccoviensis episcopi relatio videretur in oblivionem venisse, *Stanislaus Rajmundus Jezierski* quae propriis valeret viribus tentare statuit, et anno 1746 patriae suae senatoribus et provinciarum ad regni dietam *Varsoviae* congregatis delegatis libellum porrigit supplicem, quo petit, ut in Polonia, quae catholici moldaviensis episcopi sedem erexisset, de sumptibus provideatur, non solum ad sustentandum in qualibet baccoviensis dioeceseos ecclesia sacerdotem, verum etiam ad digne sustinendum ipsum baccoviensem praesulem. Certo certius etenim quilibet episcoporum, temporum decursu sibi subsequentium, suas potius inter oves, quam procul ab iis demorari mallet, nec esse, cur hi sumptus necessarii vel e *Borussiae* reditibus, [2]) vel ex aliqua dotatione regia, nequeant assignari. Quo magis optato nihil cadente, publicae portam ad ottomanicam legationis occassione, de lege cavendum esset, ut vi transactionum pacis, *carlovicensis* dictae,[3]) baccoviensis episcopus in *Terebes*, duodecim subditorum loco, centum subditis juvetur, ut illi secure liceat in Moldaviae terra domicilium figere, et insimul ut *suae fidei sacerdotum*, ne schismaticis derisui sint, *a tabellis eximendorum plenam*, itaque juridicam etiam, ut antea moris erat, *habeat potestatem.*

---

[1]) E libello supplici, cujus mentio subsequitur.

[2]) Serius haec, tunc temporis ad rempublicam Poloniae pertinens adhuc pars, *occidentalis Borussiae* nomen est adepta, scilicet, quum sub *Friderico II,* qui Magnus dicitur, 1772 Polonia primo divisa et haec Poloniae pars a republica fuerat avulsa.

[3]) Stipulationes illius, ut superius dictum, Poloniae regibus catholicorum in Moldavia tutelam commiserunt.

Ulterius proponit, ut animarum periclitantium amore ducti, singuli Poloniae confratres episcopi, saltem unum juvenem, natione Moldavum, in suum recipiant seminarium, et ut apostolicus per Poloniae regnum nuntius religiosorum quoque, per Moldaviam in missionibus occupatorum sacerdotum subordinationem sub episcopi baccoviensis jurisdictionem, quae alioquin existere deberet de praesenti, *salvis ordinis illorum religiosi praeceptis*, Romae defendat et evincat. [1])

Poloniae tamen respublica, perniciosis jam et insanabilibus internis quum laboraret malis, et quum gravioris momenti publicis negotiis esset detenta, haec baccoviensis episcopi petitio penitus irrita fuit. [2])

Romanum igitur pontificem *Benedictum*, nominis hujus decimum quartum, similibus crebris in litteris fatigans precibus, tandem effecit, ut sanctissimus pater die 10 Decembris 1748 [3]) Poloniae regi baccoviensem dioecesim, illius episcopum, hujus episcopalem sedem et cathedram, justis et in tuto collocandis reditibus dotandos commendaret.

His pontificis litteris acceptis, Poloniae rex, quem tristis baccoviensis dioeceseos conditionis miserebat, quin imo, diocesim hactenus a legitima tutrice, Polonia, derelictam semper fuisse pudebat, motu proprio tam episcopi quam pontificis votis ut satisfaciat, *Russiae palatinatus* civitatem *Sniatyn*, ipsis in Moldaviae confinibus positam, baccoviensium episcoporum sedem designare statuit.

Haec civitas olim in Moldaviam, *Bulgariam* et alias in terras excurrentium Christi praeconum diversorium, [4]) ab anno 1395 publicis etiam in rebus Poloniam inter et Moldaviam transigendis inclarescere, [5]) primisque saeculi decimi quinti temporibus proscriptorum Moldaviae procerum refugium esse coepit. [6]) Saepius in solemnis homagii Poloniae regibus a Moldaviae palatinis praestandi locum designata, [7]) Praedicatorum etiam ordinis monasterio gaudebat, quod die 13 mensis Junii 1643 *Petrus Potocki*, sic dictus »*starosta*« i. e.:

---

[1]) Haec annuere videntur, authoritatem episcopi non a missionis sacerdotibus, sed aliunde impetitam fuisse, *Jezierski*umque se pontificali decreto munire voluisse, qui terrae principem, quoad tollendos in sacerdotes romano-catholicos graeci ritus orientalis episcoporum violentos abusus, in illius obstringat animam.

[2]) »Cf. Volumina legum regni Poloniae Varsoviae 1732 seq. fol. ad annum.

[3]) *Theiner*: l. c. IV. p. 134. Quum autem summus pontifex his in litteris inter alia dicat: »Quoniam dioecesis Baccoviensis *sub archiepiscopo Colocensi* tota *in potestatem* Turcarum venerat . . . . « admitti tamen nequeat, sanctissimum patrem ignorasse, dioecesim non jam Colocensis sed Leopoliensis archiepiscopi juris fuisse, nil amplius nisi historicam reminiscentiam his in pontificis verbis videmus.

[4]) *Sadok Baracz* l. c. II. 501.

[5]) *Dogiel* Cod. dipl. regni Polon. I. p. 599.

[6]) *Idem* l. c. I. p. 600.

[7]) *Idem* ibid. p. 601—603.

judex supremus,, *sniatynensis, colomeensis* et *lezajscensis,* suaeque regiae Poloniae majestatis supremus equitum magister, fundaverat, fundatum autem *Vladislaus,* Poloniae rex, diplomate suo de dato 8 die mensis Aprilis 1644, simul et *Andreas Potocki*, castellanus *cracoviensis*, litteris donatariis de dato 19 Decembris 1684 possessionibus terrestribus, tandem et *Anna Zachorowska* 1713 et 1730 duorum millium polon. florenorum summa ditaverant. [1])

Neque sane huic regis propositioni *Benedictus XIV.* dissidens repugnabat, sed bulla de dato: Romae 3 die mensis Augusti 1751 plausibus illam jucundis approbavit, [2]) et episcopus *Jezierski* laetus in civitate *sniatynensi* sedem ac domicilium fixit.

Haec dum aguntur, *Moses Borezlai*, fratrum sancti Francisci minorum conventualium provinciae hungaricae, magister theologiae, suique temporis longe lateque celebratissimus orator, missioni nomen dederat, [3]) cui sacra de propaganda fide congregatio *Clementem Leidet*, natione gallum, praefecerat. Hujus tamen in spiritualibus et temporalibus auctoritatem societatis Jesu patres agnoscere quum recusarent, illique contrairent, hic missioni praefectus terrae principis in adversarios auxilium implorare fuit coactus. Erat is tunc temporis *Constantinus Michael Czehan Rakowitza,* qui diplomate suo de dato: »Jassiis 1 die mensis Octobris 1750« [4]) solemniter pollicitus est, romano-catholico per Moldaviam missioni praefecto contra quoscunque, praesertim vero contra societatis Jesu patres adversantes, brachium saeculare se praestiturum esse, qua principis declaratione rebelles animi pacati sunt.

Missionis autem ecclesias pater *Leidet* una reperit auctas. Quum enim in *Stawczán*, hodiernae Buccovinae pago, catholicorum numerus adeo fuisset auctus, ut in privato loco divini cultus causa nequiret amplius congregari, loci sacerdos turcico *Camenezio* praefecto, cui tunc ambitus camenecensis, ad quem *Stawczan* pertinebat, suberat, supplicem porrexit libellum, ut loci fidelibus ecclesiam erigere permittat. Hic decreto suo de dato: »*Chotim* 15 mensis Redscheb 1160« (1747) non solum hanc licentiam indulsit, [5]) verum etiam altero decreto de dato: »*Chotim* 17 die mensis Redschib 1161 (1748) edixit, ut parochus, tam praesens quam futurus, cum servis suis, ab omni vectigalium publicorum solutione, prout et ab omnibus, cujus-

---

[1]) *Sadok Baracz* l. c. p. 502—503.

[2]) Ms. *Bonaventurae Makowski.* Nobis hoc documentum assidue diligenterque diu quaerentibus, pluries illius apud scriptores commemorationem, nullibi tamen plenum contextum reperire concessum fuit.

[3]) *Hajdeu* l. c. p. 276. num. XXIII.

[4]) *Kodrescu* l. c. V. p. 423—425. Instrumentum hoc docet, patrem *Leidet*, non post annum 1750 — ut plurimi volunt, quod autem veritati repugnat- in Moldaviam venisse.

[5]) Originale turcicum in viennensi c. r. status archivo.

cunque nominis praestandis muneribus et portandis oneribus habeantur exempti, liberique. [1])

Caeterum illae religiosae, turbae, quibus, *Frankio*, novae doctrinae precone, *Judaei* per Moldaviam dispersi movebantur, [2]) romano-catholicis dogmatibus addictos eo non obstante non moverunt, quod promulgatum fuisset, testamenti veteris asseclas christianis sese conjungere velle.

Leidet, vir tum officii, tum juris ex ordine sui probe sibi conscius, in Moldaviam abiens, a sacra de propaganda fide congregatione pecunias non parvi ponderis acceperat, quibus res catholicae essent juvandae. Quum igitur episcopi *Jezierski* consensum assequutus fuisset, interruptam jassiensis ecclesiae fabricam continuare et ad finem perducere statuit. [3]) Hoc in pio negotio multum eum juvabat »ferman« *Mahmudis*, Turcarum imperatoris, de dato: Constantinopoli, ultima decade mensis Muharem 1166 (1752) quo terrae princeps, *Constantinus*, jussus erat, hujus ecclesiae fabricae semetipsum non denegare. [4]) Subsequens quoque provinciae dominus *Matthaeus Ghika*, diplomate suo de dato Jassiis 3 Augusti 1753, [5]) romano-catholicam fidem profitentibus promiserat, nullum illis dehinc in posterum obicem pertimescendum esse, quominus omnibus libertatibus utantur, quod etiam novo diplomate de dato: »Jassiis 15 die mensis Augusti 1753« luculentissime probavit, quo romano-catholicae per Moldaviam missioni praefecto pridem jam a principe *Dobija* concessam ecclesiasticam jurisdictionem in sacerdotes, etiam animadvertendi, praetensum ab episcopis schismaticis jus, confirmat. [6])

Dubitari caeterum nequit, consensu ād perficiendam jassiensem aedem sacram ab episcopo dato, cathedralem *baccoviensem* ecclesiam, restauratione non minus egentem, ideo solum jassiensi postpositam fuisse, ut in terrae moldaviensis metropoli, quae per longam, multa siquidem saecula complectentem annorum seriem, missionis quoque per Moldaviam catholicae caput erat, aede sacra

---

[1]) *Ibidem*.

[2]) Quoad *Frankium* et ejusdem doctrinam Cf. *Schmidt*: »Memorabilia Soczaviae« — germ. — Czernovitii 1876. 8. p. 209. sq.

[3]) Ms. *Bonaventurae Makowski*.

[4]) Originale ut not 5 in praecedenti pagina.

[5]) Orig. charta pat. ling. rum. sigillum minio appress. in arch. pp. ff. s. Francisci min. conv. Jassiis.

[6]) *Ibid.* simili forma confectum. Illius ut et praecedentis commemorat *Kodrescu* l. c. Dolendum est documentorum in archivo pp. missionariorum Jassiis plurima- temporis injuria- sic esse corrosa, ut brevi, nullo sui vestigio relicto, sint dilabenda. Gravem hanc evitaturus jacturam, Excellentissimus, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus *Dehm* illud etiam in votis habebat, ut omnium documentorum copia librum in unum congeratur, idque modo, qui diplomatariorum conditionibus adaequatus, archivi publici, seu »loci« sib dicti« credibilis vices posset supplere. Haec illius intentio, prout aliae saluberrimae, iniquis circumstantiis peroptato caruerunt effectu.

sumptuosius exstructa, fidelium erigantur animi, derisus alieni cultus asseclarum vitetur, et ipse denique princeps, cujus residentiae novum publicorum aedificiorum accessisset decus, devincatur. — Exinde novas, plurimorum emolumentorum accessiones rei catholicae promanaturas fore, juste sperari poterat.

Interim *sniatynensis* sedis proventus, parochia nimirum urbana cum incorporatis circa circum viginti pagis, vix trium animarum millium repraesentans gregem, quum praeposituræ loci, non autem episcopo penderetur, nullum episcopo rebus in angustis levamen adtulit, et a Poloniae rege nihil factum fuerat, quo baccoviensi sede *Sniatynium* translata, praesul ipse, summas in augustias adductus, attamen iniquam sortem excelso ferens animo, juvaretur. Nec erat, qui patronum illius eloquentem agens, regis pertractasset animum.

Summus itaque pontifex, *Benedictus XIV*, et regem veluti stimulo quodam concitaturus, et se fidelium per Moldaviam dispersorum memorem esse monstraturus, in illorum episcopum gratiam suam superabundanter ēffudit. Brevi namque de dato: »Romae 18 die Septembris 1754« *Stanislao Rajmundo Jezierski* plures et non parvi momenti praerogativas est elargitus. [1]) Non solum etenim motu proprio romanum comitem illum creavit, et illi apostolicos notarios nominandi specialem impertitus est facultatem, verum etiam sic dictos »milites auratae militiae« proclamandi potestatem illi concessit. Insuper eum liberae dispositionis jure super quingentorum aureorum, quoad vixerit, insignivvit, in mortis autem articulo ad mille ducatorum testamenti tabulas conficiendi veniam dedit.

Licet autem hoē agendi modo sanctissimus Pater episcopmu baccoviensem non quotidianis ornasset honoribus et indultis, tamen pro sufficienti subsistentia, pro hic et nunc, illi minime fuerat provisum. Id demum aliquot annis post factum fuisse legimus.

Non est igitur cur miremur, episcopum *Stanislaum Rajmundum* et nunc quoque ecclesiasticis Poloniae praesulibus inserviisse, [2]) dioeceseosque suae curam maximam ad partem patri *Leidet* praefecto commisisse quem sancti Francisci minorum conventualium fratres »ad sanctam crucem« leopolienses, labores illius in vinea Domini, simul et benefici, quo conventum hunc prosequebatur, animi documenta remuneraturi, die 12 Martii 1756, communi conventus membrorum suffragio, honoris causa »*pro suo*« declaraverunt, ita ut: »quae suis meritissimis de more praestare solent patribus, tum apud se quan-

[1]) Originale servatur in arch. paroch. eccl. *Sniatyn*, membran. forma libelli, 4° maj, 16 flaras continens, quarum prima sic est succisa, ut illius residuam marginem tantummodo sequentis tegat sinistrum. Sigillum olim appensum, modo jam avulsum.

[2]) Praesertim publicis in solemnitatibus, verborum ad populum faciendorum vel sacri divini celebrandi causa perfrequenter invitabatur, ut e. g. 1572, quum post pium obitum *Thomae Augustynowicz*, leopoliensis archiepiscopi ritus armen. funerum fierent solemnia. Cf. not. 2. pag. 121.

locunque et quoadusque voluerit, commorandi, quoad victus sufficientiam commoda, tum post sera fata in Domino quiscenti, congrua in vim gratitudinis praestentur suffragia.« [1])

Et revera, patris *Leidet* merita non parva fuerunt.

Nam, non spiritualibus tantummodo curae suae commissorum necessitatibus providebat, sed suorum temporalia quoque corde gerebat emolumenta. Quum etenim et ad rem domesticam indefessum adverteret animum, inprimis terrae subsequos sibi principes, puta *Michaelem Czehan Rakowitza*, *Theodorum*que *Calimachum*, concessorum patribus missionariis privilegiorum approbationem petiturus, adiit, quorum prior diplomate suo de dato: »Jassiis 7 die Maji 1756, [2]) posterior autem diplomate de dato: »Jassiis 20 Decembris 1758, [3]) justis precibus assentiri non denegarunt. Turcarum quoque »sultanus,« *Mustapha III.*, prima decade mensis Schewal anni mahometani 1173 (1759) liberam catholicis fidelibus dogmatum suorum confessionem, et divini cultus exercitium, illorum autem sacerdotibus, i. e. missionis patribus, possessionum usumfructum, olim jam concessum, confirmavit non solum, sed insuper praesenti Moldaviae domino dedit in mandatis, ne libertates et indulgentiae dictae quomodocunque vel quandocunque violentur aut turbentur. [4])

Caeterum pecuniariis in rebus pater *Leidet* plurimum gratuitis illis quoque juvabatur donis, quae dispersi per Moldaviam austriacarum ditionum confessionis romano-catholicae mercatores, Dei teroptimi maximi promoturi gloriam, non mediocris liberalitatis largitione conferrebant. [5]) Charitativa haec munera pauperibus, erubescentibus mendicari, sublevandis deserviisse, compertum est. [6]) Ut verbo denique rem complectamur omnem, sub patris *Leidet* praefectura catholicae per Moldaviam missionis status dicendus erat florentissimus.

Anno demum 1760 *Hieronymus de Boguslawicze Sierakowski*, leopoliensis archiepiscopus, cujus metropolitana dioecesis episcopatus quoque baccoviensis complectebatur ambitum, ad id facta sibi a Poloniae rege, patrono scilicet et collatore, plenaria potestate, *sniatynensis* praepositurae proventus, salvis ejusdem moderni possessoris, *Samuelis Glowinski*, juribus, episcopi baccoviensis mensae pronuntiavit incorporatos [7]) et sacrae apostolicae sedis beneplacitum desuper efflagitavit. [8]) Sic tandem et *Augustus III* e summi pontifi-

[1]) E Ms. histor. domus monasterii ff. minor. ad S. Crucem, quod flammas anni 1831 feliciter evasit.

[2]) Orig. in arch. missionis Jassiis, vulgavit *Kodrescu* l. c. V. p. 431.

[3]) Similiter.

[4]) Orig. in c. r. status archivo Viennae.

[5]) *Hurmuzaki* l. c. IV. passim.

[6]) Ut nota 1.

[7]) *Balinski et Lipinski* l. c. T. II. p. 749.

[8]) Cf. »Series epprum premisliensium rit. lat.« Viennae 1844. 8. p. XXVIII.

cis animi sententia baccoviensis episcopi temporalibus necessitatibus providerat, cui, et meritorum et dignitatis ejus ecclesiasticae habens respectum, archiepiscopus *leopoliensis* insuper canonici stallum contulit, in quo *Jezierski* successu temporis ad officiolatus apicem pervenit. [1])

Hanc assequutus dignitatem, simul et uberiorem nactus erat dotationem, et quum neocreatus canonicus leopoliensis omnium bonorum communi laude celebraretur, et ipsius inter capituli dignitarios praesentia his ipsis non medioeri decori duceretur; hanc canonicatus eolllationem rex quoque ratam gratamque habuit. [2])

Interim *jassiensis* ecclesiae fabrica felicem ad finem perducta fuisse videtur. Sexta nimirum die mensis Schemaziul ewwel 1177 (1763), quidam *Seid Mustapha* suis testatur reversalibus, se qua *rustschukiensis* mollae, *Mehemed Seid* plenipotentiarium, in *jassiensi* monasterio certum scandularum numerum, sacerdotibus inutilem, levasse. [3])

Mox, anno scilicet 1764, funesta pestis in Moldaviam illata, pagos et urbes dirum in modum lacerans, interjectis paucis temporis intervallis, per biennium suam saevitiam exercebat. [4]) Quum plurimi catholicae missionis sacerdotes tristissimis his diebus se proximi charitatis victimam praebuissent, et alioquin paucae, quae pastore prius gaudebant, ecclesiae neminem haberent, qui fidelium animarum invigilaret saluti, *Stanislaus Raimundus* sub annorum suorum gemens onere, negotiisque detentus publicis, *Franciscum Candidum Ossolinski* coadjutorem sibi elegit, qui 13 Octobris 1765, in ecclesia fratrum minorum conventualium leopoliensium »ad sanctam crucem« sacris episcopatus ordinibus ab *Hieronymo Sierakowski*, leopolitanae dioeceseos archiepiscopo, praesentibus *leopoliensi* archiepiscopo ritus armeni, cui *Jacobi Augustynowicz* fuit nomen, et *Samuele Glowinski*, Hebronensi partium infidelium episcopo, simul et *»quoad jura«* sniatynensi beneficiario praeposito, fuit initiatus, et *dardanensis* partium infidelium episcopi titulum accepit. [5])

Hic sancti Francisci minorum conventualium religiosus, sacrae theologiae doctor, *varsoviensi* quondam praepositus monasterio, tanti momenti negotium sibi videns commissum, utut novum erat, de sacerdotibus novis, idoneis et sufficientibus- ad *Raimundi* episcopi voluntatem providere, summo quo poterat ardore satagebat et quum ulterior in missione sacerdotum defectus penitus reticeatur, negotium

[1]) *Ibid.*

[2]) Testimonio sit, eum, quum in 19 Martii 1764 publicae cognitionis indicti dies, quibus forum ageretur, advenissent, solemne- quo res inauguretur- divinum sacrum, a judicibus ipsis rogatum, peregisse.

[3]) In c. r. status archivo Viennae.

[4]) Cf. *Kogolnicean*: »Archivum Rom.« — rum. — Jassi 1860. 8. I. p. 133.

[5]) *Historia domus* ff. s. Francisci minor. convent. »ad sanctam crucem« *Leopoli*, 1831 flammis feliciter erepta MS. p. 133.

hoc felici successu pertractasse videtur. Nihilomnius et hoc veritati debetur, ut dubitemus, quin illi fidelium animarum pastores cujusvis linguae, singulis in locis maximam ad partem usitatae, ita fuerint periti, ne vel inde quaerelae quaedam sint motae. Sacra siquidem de propaganda fide congregatio paucos post annos correctivam hujus causae mentionem fecisse legitur.[1])

Interea pater *Leidet* obtrudentibus sese difficultatibus non deterritus, turrim quoque *jassiensi* superstructurus ecclesiae, necessarios ad novam hanc fabricam sumptus inter fideles colligere coepit, et de semovendis, quae viam optatum ad finem occludebant, obstaculis cogitabat. Illis enim temporibus turres dominii cujusdam, vel saltem plenae libertatis habebantur signum, et licet romano-catholicae per Moldaviam missionis libertas Turcarum imperatoris et terrae principum publicis instrumentis multoties fuisset confirmata, nihilominus e terrae principis nutu pendebat, cujus propterea consensus praevie vel ideo quoque implorandus erat, ne campanas in tabulatu quodam seorsim suspendere necesse sit. Hunc in finem pater *Leidet* moscoviticum, principis in aula nuntium, comitem *Alexandrowicz* precibus fatigavit, qui turrim ecclesiae superstrui licere, sua et intercessione et auctoritate apud principem enitatur.[2]) *Gregorius Ghika*, cujus in subditos benignitatem omnes coaevi scriptores non quotidianis laudibus evehunt, non quidem speciali diplomate suum praebuit assensum, sed litteris suis de dato: Jassiis 1 die mensis Aprilis 1766 dicto comiti transmissis,[3]) certiorem illum fecit, se nequaquam catholicae missioni praefecto minus amicum consilium vel animum habere, seque petitam turrim ecclesiae superstrui, campanasque in illius interiori parte condendi facultatem, lubentissime concedere. Comes autem *Alexandrowicz* hoc litteris suis de dato 13 die mensis Aprilis 1766, ad patrem *Leidet* perscripsit,[4]) qui laetus operi perficiendo manum quidem admovit, sed vix perfectum, eodem anno flammis vidit absumptum.[5])

Sic annorum duri labores in favillam abiere, perierunt sumptus profusi, simulque cum flammis pauperum fidelium in cordibus exorta gaudia sunt exstincta. Magna sane calamitate Deus suos tentasse videbatur. Utrum autem fulmen coelo delapsum, casus infortunatus, aut malevola perditorum hominum manus calamitatis hujus fuerit auctor, frustra perquireres. Id unum certum est, longum dierum spatium praeteriisse, priusquam perpessum resarciretur damnum.

---

[1]) Cf. pag. 126.

[2]) Manu patris *Leidet* compositum formulare litterarum in arch. miss. Jassiis.

[3]) Orig. charta, forma epistolae, lingua gallica, *ibid.*

[4]) Similiter.

[5]) Ms. *Bonaventurae Makovski.*

Quum etenim non solum *Turcas* inter et *Moscovitas* cruentum et virulentibus morbis comitatum illud exarsisset bellum, cujus in decursu Moldavia *Catharinae II* fidelitatis praestiterat homagium, sed insimul et infelicis *Poloniae* funesta partitio supervenisset: haec tanta et tam atrox rerum publicarum commutatio, indies nova quum afferret, cunctorum metuentium animos adeo terruit, ut privata quaeque nulla singulari sollicitudine digna ducerentur. Imperia, praepotentia quondam, si luctuose contremiscunt et misere concidunt, quae concepti singulorum propositi, quin imo, quae singulorum aut ipsius discriminis aut salutis ratio?

Verum ipsae hae rerum publicarum vicissitudines testabantur, quanta baccoviensis episcopus, *Stanislaus Raimundus Jezierski* apud suos auctoritate sit gravisus, quantaque temporibus inservierit prudentia. Nam et illius deputationis erat membrum, quae, quum *Leopolis* a confoederatis *Barensibus* anno 1769 cingeretur, missa fuit, ut cum illis de certis deditionis conditionibus tractaret, [1]) et modo, quum celsissima domus austriaca Poloniae parte, quae *Galiciae* nomine venit, occupata, novae provinciae cives in nomen suum jurare jussisset, obstinaciter obedientiam recusantium et contra torrentem nitentium exemplum non est sequutus, sed novi domini dicto se praestitit audientem et obedientem. [2]) Et quum hac agendi ratione non solum in suis ecclesiasticis dignitatibus et in illorum emolumentis a novo terrae principe se videret confirmatum, verum etiam in specialem gratiam receptum, id in suae dioeceseos, cujus miserae semper memor erat et in rei per Moldaviam catholicae emolumentum experiri statuit. Non deterrebat eum, ab aliis similia saepe jam frustra tentata fuisse, quin quae mente conceperat, sine mora sit exsequutus.

Circiter ante saeculum etenim, et vetustioribus forsan adhuc diebus, quum hostes Moldaviae terram essent inundaturi, fama, quae crescit eundo, multilinguis venientium erat praeco. Dum omnes timent, lamentantur, discurrunt et aufugiunt, ecclesiarum catholicarum pastores in unum undique collata colligunt argentea sacra vasa, nonaginta duarum marcarum ponderis, et patribus ordinis sancti Francisci, strictioris observantiae, *csiki*ensibus, pacatiores in dies custodienda, transmittunt. Sed quum tandem apparuisset post nubila Phoebus, et quum ecclesiarum per Moldaviam romano-catholicarum parochi pretiosum fiduciae pignus a *csik*iensibus repeterent, illud, quod multae desuper existentes litterae testantur, primum asseritur casu perditum, postea autem, olim receptum fuisse, simpliciter negatur. Rem in saeculare judicium deferre, non solum sacerdotalis dignitatis, verum etiam ecclesiarum publicae judicialis causae sumptibus impar paupertas et exorientis e tali causa scandali publici

---

[1]) *Theiner*: Monum. Polon. et Lithvan. IV. p. 285. Litterae de dato: Varsoviae 31 Maji 1769.

[2]) *Idem*. ibid. p. 426. Litterae de dato Leopoli 4 Octobris 1772.

prohibebat respectus. In camera tamen fraternae charitatis hucusque continuata rei pertractatio nequaquam peroptatum finem polliceri videbatur. Episcopus igitur baccoviensis *Stanislaus Raimundus*, quum haec rescivisset, viennensis aulae gratiae, qua gaudebat, confisus et *csik*iensium improbitatem exosus, quorum negationi scripta contradicebant obligatoria, simulque propter ecclesiarum suarum in Moldavia paupertatem, ulterioris impatiens morae, caesaris aulam et *apostolicum* Viennae nuntium, enixis precibus, ut hoc argentum sibi reddatur, fatigabat. Quum autem catholicae per Moldaviam missioni praefecto traditum interea fuisset, quod tam obstinaciter negabatur, i. e. quum argenteria sacra, toties infitiata, tandem ad dominum rediissent suum, *Stanislaus Raimundus* sacram de propaganda fide congregationem adiit, ut sibi liceat, ex hoc argenterio pro pauperibus moldavicae dioeceseos ecclesiis calices et unum alterumve ciborium conflare, reliquum autem vendere, et pecunia, hac venditione parta, fundum illum augere, quem ad restaurandam jassiensis ecclesiae turrim fideles gratuitis donis congerere coeperant. Et id, rei naturae quippe congruum, feliciter impetravit. [1])

Interim anno 1773, quo terrae princeps, *Constantinus Maurocordato* diplomate suo de dato: »Jassiis 24 die Septembris« monasterium jassiense, publicis in instrumentis »*hospitium*« hucusque nuncupatum, in antiquis ejusdem libertatibus et praerogativis tuetur, [2]) *Franciscus* quoque *Candidus Ossolinski*, baccoviensis, ut superius narratum fuit, episcopi coadjutor, *Kijoviensem* in sedem est evectus, [3]) et locum illius *Petrus Dominicus Karwosiecki* sibi vidit delatum.

Hic fratrum sancti Francisci minorum conventualium ordinis religiosus, *haliciensis* »ad sanctam crucem« dicti monasterii filius erat. Quum sanctae romanae ecclesiae cardinales, litteris de dato: Romae 2 Julii 1761, rebus religiosis invigilandis praepositos inter et eum nominassent, [4]) et propriae saluti, quietique consulere cupienti, monasteriorum provinciae consensu non denegato, *Leopolim* »ad sanctam crucem« sese transferendi facultatem essent impertiti, fratrum leopoliensium 28 Octobris 1761 dato fretus consensu, [5]) *Leopolim* se transtulit, ubi morum integritate, doctrinae splendore, vitaeque sanctitate cunctis charus et aestimatus factus, brevi tempore, generalis per Russiam ordinis ministri creatus est commissa-

[1]) Ms. *Bonaventurae Makowski.*

[2]) Originale, charta patens, sigillo minio appresso, in archivo monast. Jassiis.

[3]) Quo pacto: »Prospectus totius missionis in Moldavia,« 1874. 8. p. 10. eum 1775, itaque serius, et veluti baccoviensi functum episcopatu, nec *non Karwosieckii* successorem (*Sic!*) *Kijoviam* abiisse scribere potuit, nisi plenam rerum ignorantiam admittere velimus, incompertum est.

[4]) Ms. conventus leopoliensis, cui titulus: »Mnemosynon ad seram seraphicae posteritatis memoriam« p. 80. et 169.

[5]) *Ibid.*

rius.[1]) Et quum a baccoviensi episcopo *Stanislao Rajmundo Jezierski* fuisset in coadjutorem postulatus, leopoliensis conventus insuper, memor beneficii, quod scilicet bibliothecam domesticam sumptibus ex eleemosyna congestis, et suis quoque libris auxis-set, die 16 Januarii 1784 decrevit,[2]) ut summa mille octingentorum florenorum polonicorum, 450 flor v. a., e conventus pecuniis juvetur, quas pecunias de facto sibi enumeratas fuisse, *Karwosiecki* quietantia sua de dato: »16 Februarii 1771,« manu propria testatus est.[3])

Hanc illius in baccoviensis episcopi coadjutorem evectionem ordinis minorum generali ministro probatam fuisse, litterae nos docent, quas *Felix Schubert*, ejusdem generalis ministri per Russiam in *Karwosieckii* locum suffectus commissarius, de dato: »Sumseu (*sic*) 7 Februarii 1774 emiserat,[4]) quibusque cunctis provinciae fratribus hanc *Karwosieckii* in baccoviensis episcopi coadjutorem factam denominationem communicat.

Idem autem *Petrus Dominicus Karwosiecki*, quem summus pontifex *Clemens XIV* brevi suo de dato: »Romae 9 Maji 1774« episcopum bybliensem, infidelium in partibus, et baccoviensem coadjutorem pronuntiaverat,[5]) cuique, licet meliori sorte dignissimo, serius demum, duos nimirum post annos, mensae titulo, praepositura in *Mosty* fuit collata,[6]) quum qualibet honesta vivendi ratione se videret destitutum, eundem leopoliensem fratrum minorum sanctae crucis conventum, urgente dira necessitate, rogavit: »ut possit retinere suam paternalem cameram pro residentia, et ut aliqua cella servis assignetur suis, tum etiam, ut victus tribuatur sibi, capellano, socio, servis et aurigae, prout et debita alimenta quatuor equis,« quod interim »ad futurae consecrationis diem« non est denegatum.[7])

Antequam autem consecrationem hanc solemni ritu 1 Junii 1775 *Venceslaus Sierakowski*, leopoliensis archiepiscopus *Dunajowiae* perageret,[8]) *Petrus Dominicus Karwosiecki* libello supplici de dato: Leopoli 6 Augusti 1774 leopoliensem sanctae crucis fratrum minorum conventualium non incassum aggressus est sodalitatem, ut ducen-

---

[1]) Videtur simul et provinciae praepositus minister provincialis fuisse.

[2]) In citato superius Ms. p. 175.

[3]) *Ibidem* quietantiae legitur tenor, et videtur subscriptio, forma facsimilis.

[4]) *Ibid*: p 290. Gratias viro debemus, cui rei domesticae sui temporis conscribendae cura commissa fuit. Non contentus etenim factorum simplici commemoratione, litteras quoque publicas, omnimodi generis documenta, rem adductam probantia, vel illustrantia, sedulus collegit et verbotenus reproduxit, ut illius labor cuilibet, profano quoque rerum gestarum scriptori, sit acceptissimus.

[5]) Originale possidet bibliopola leopoliensis, *Cajetan Jablonski*. Publicatum in: »Addit ad Ephemer. leopol. anni 1858. Num. 2.

[6]) Praepositi in *Mosty wielkie* munere fungebatur ab anno 1776.

[7]) Hist. conv. s. crucis Leopoli, 1831 flammis erept. Ms. p. 37.

[8]) *Ibid.* p. 183.

torum aureorum nummorum hungaricorum, pro sacris diplomatibus persolvendorum, summam sibi largiatur.[1])

Et procul dubio tanta cunctorum conventus fratrum reverentiae, chariitatisque documenta, virum in unum collata, donatum et donantes aeque decorant.

Haec dum fiunt, dira calamitas christianum terruerat orbem. Plurium etenim catholicorum principum primarii ministri, societatis Jesu religiosorum perniciem anhelantes, in illos exortae procellae fuerunt auctores, quam inter hic ordo, de re christiana meritissimus, vaticani fulmine ictus concidit.[2]) Hic per Moldaviam quoque, longo annorum spatio, viribus, ut ita dicamus, inexhaustis, indefessum in vinea Domini non mercenarium sed operarium egerat. Utrum autem ea, disjectae modo societatis, membra, quae *Jassiis* et alibi locorum in animarum cura legimus occupata fuisse, non mutaverint sedem suam, nullam nos in dubitationem adduceret, si nesciremus, Moldaviam, praesertim tunc temporis, romano-catholicorum sacerdotum penuria summa vel ideo forte laborasse, quia sacra de propaganda fide congregatio sub dato: »Romae 21 die mensis Martii 1774« statuerat: »ut quilibet morans in Moldavia missionarius, post sex a dato hujus decreti menses, vel etiam moraturus deinceps in ea, post sex ab adventus sui die computandos menses, linguae subeat examen, et si imperitus repertus fuerit, neque spes affulserit, — ut scilicet brevi linguam addiscat. — »*expellatur*« — *(sic!)* [3])

Haec sacrae de propaganda fide congregationis paululum severior, nihilomnius tamen rerum circumstantiis adaequata dispositio, intendisse videtur, ne parochiales ecclesiae, rectoribus destitutae, primo cuipiam sacerdotum, linguae licet ignaro, tamen obtrudenti sese, maximo fidelium damno concedantur, et conjicere licet, genuinam hujus decreti ipsorum fidelium querelas, episcopo vel ejus coadjutori prolatas, causam fuisse, quorum praesulum, utpote summorum pastorum intererat, ejusmodi providere necessitatibus. Eapropter ad veritatem accedere sententia putari potest, quae contendit, tam aliquot patres abolitae societatis Jesu, cleri saecularis vestem, vivendique modum amplexos, in Moldavia mansisse, quam illo potissimum tempore nationis italicae sacerdotum in Moldaviam missionem usuvenisse, qui cum Hungaris, e confini, Siculia dicta, Transsylvaniae parte, catholicorum spiritualibus necessitatibus et desideriis, inserviant. Propter summam etenim, quae rumunam inter et italicam linguas, slavicos, hungaricos et turcicos si miseris terminos, obversa-

---

[1]) *Ibid.* p. 173.

[2]) Pervulgata Clementis XIV bulla: »Dominus et redemptor noster« ex 1773.

[3]) Cf. rumun. ephemerides: »Concordia« de die 26 Novembris ad diem 8 Decembris 1864, anno IV. num. 95 sq. pag. 349. sq.

tur affinitatem, ad priorem addiscendam sex mensium spatium diligentibus videbatur probe sufficere posse.

Onus omne baccoviensis dioeceseos administrandae *Stanislaus Raimundus Jezierski* dehinc in coadjutoris transtulit humeros, qui Leopoli die 3 et 4 Maji 1776 in sacris aedibus, »ad inventionem sanctae crucis« dictis, plura consecraverat altaria.[1]) et 8 Septembris 1777 thaumaturgam beatissimae Mariae semper virginis immaculate conceptae immaginem, in tabula lignea pictam, in ecclesia fratrum minorum conventualium *Premisliae*, vaticanis decoravit coronis.[2]) Adeoque non obstantibus et dioeceseos administratoris et praeposituraе mostensis functionibus,[3]) alia quoque suscipere non est gravatus. Ipsius autem moldaviensis dioeceseos ambitus, quoad illam moldavici territorii partem, quae *Buccovinae* nomine hodie venit, et 1775 austriacae domui perillustri fuit concessa,[4]) minime fuit immutata. Eodem scilicet publico instrumento, quo *Buccovinae* cessio, portam ottomanicam inter, qua supremam terrae dominam, et austriacum componebatur imperium, cautum erat, ut cessa Moldaviae pars novo quoque sub regimine, quoad ecclesiasticae, politicae, judiciariaeque administrationis modum »*in statu quo*« permaneat, et ideo tam episcopus, quam ejus coadjutor in *Galicia*, Moldaviae contermina, domicilium ulterius quoque fixerunt, quae Poloniae quondam pars, cum omnibus regiis juribus, et Poloniae quondam regum praerogativis, itaque cum jure quoque protectoratus rei per Moldaviam catholicae, ad eandem clarissimam domum austriacam 1772 devenerat.

Hic »status quo« per decem durabat annos. Quum autem in sibi comisso negotio diligenter adimplendo coadjutori sumptus essent ferendi, quibus proventus illius non essent pares, *Petrus Dominicus Karwosiecki* leopoliensi metropolitano ritus latini capitulo[5]) libellum porrexit supplicem, ut canonicatus regius, ab *Augusto III*, Poloniae rege, dotandi baccoviensis episcopi causa designatus, et post

---

[1]) Hist. domus. ff. Franciscanorum Ms. saepius citata (Leopoli) p. 183.

[2]) Schematismus r. l. dioeceseos premisl.« Jaslo 1876« 8. p. 203. argentea corona, non levis ponderis. Hanc ipsi vidimus, possidemusque numismata hujusmodi sacrarum imaginum coronationis, tunc temporis aliis quoque in locis ab episcopis summa pompa peractae memoriam celebrantia.

[3]) Hic addamus oportet, quod suo loco neglexímus, *Mosty wielkie* sub *Augustowo* quoque nomine venire. Cf. Diploma in addit. ad ephemerid. Leopolienses polon. Tria milliaria distat a Zolkiew . . .

[4]) Conventione de die 7 Majii 1775, cujus concessionis causa continetur articulo primo. Tenor illius talis est: »Ayant égard aux représentations amicales de s. Majesté Imp. et Royal sur le besoin d'une communication facilité et d'une contiguité entre la Transilvanie et les provinces de Gallicie et Lodomerie, possédées actuellement par la cour impériale et *pour donner une preuve non équivoque d'amitié, d'affection et de voisinage*, la sublime porte *donne* et *cede* a la cour imperiale les terres etc. etc. Hoc rumunis »*raptus*« dicitur »*austriacus*.«

[5]) Notum, Leopoli metropolitam r. l, ritus graeci uniti et ritus armeni residere.

Stanislaum Raimundum Jezierski, qui canonicatum altioris ordinis adeptus esset, vacans, sibi deferratur. Capitulum autem huic petitioni denegavit assensum, asserens, regem Poloniae absque assensu statuum reipublicae Polonae patronatus juribus nequaquam renuntiare potuisse, quapropter et *Augusti III* pro baccoviensibus episcopis facta constitutio in *Galicia*, cujus amplius non sit dominus, nullius habenda valoris, et per consequens, re vera Poloniae regi, si terrae dominus esset, non autem leopoliensi metropolitano capitulo canonicatus istius conferendi jus competere. [1])

Hoc ad *Karwosieckii* petitionem responsum contradicebat quidem rerum circumstantiis, quibus collatorium regum Poloniae jus de facto ad domum caesaraem austriacam fuerat devolutum, sed *Karwosiecki* forensem abhorrens strepitum, nihil aliud sibi superesse putabat, quam, consueta sibi sui denegatione, pro Christi gloria fideliumque salute penuriam pati, laboresquae suscipere, quibus heroica mente, hilarique vultu perantlatis, cunctorum animos in sinceram sui rapiebat admirationem.

Ab omnibus itaque justissime »vere bonus episcopus« vocabatur, celebrabaturque. [2])

Accedebat et illud, eum, durante diutius, scilicet ab anno 1769 ad annum 1774, *Turcas* inter et *Moschos* bello, quod in Moldavia potissimum gerebatur, non exspectata in *Kine Kainardschi* sancita pace, moldavicam dioecesim saepius visitasse, parochiales ecclesias — in *Buccovina* potissimum — auxisse numero, domique plurimis, licet locorum intervallo dissitis ecclesiis non se denegasse. [3])

Dioeceseos statum, ut tunc temporis erat, pater *Josephus Maria Minotti*, missioni praefectus, sequentem in modum describit: [4])

»Quum Admodum Reverendus Dominus Episcopus Dominicus Petrus *Karwosiecki,* Stanislai *Rajmundi Jezierski* Coadjutor, dioecesim visitaret, repertae sunt animae numero quindecies mille. Parochiales ecclesiae, plerumque ligneae, patribus Franciscanis conventualibus commissae, duodecim exstant, et quidem in *Groschest, Jarowano, Valeaseaca* qui locus a *Jarowano* separatus fuerat, quum unius pastoris vires, ob fidelium multitudinem, cunctorum saluti providendae non sufficerent; deinde *Kalugera, Reketin, Dschudeni,* quod a *Reketin,* est avulsum; in *Saboeni* et *Ulautscheschti,* prius cum *Saboeni* conjuncto; in *Rokatani, Jassi, Husch, Jakobeschti* et in pago prope Suczawa. [5]) Ad has parochias multae pertinent villae, sed Jassiis *unus*

---

[1]) In actis archivi metrop. leopoliensis ad ann. Cf. Series episcopor. premisliens. r. l. Viennae 1844. 8. p. XXIX.

[2]) Cf. Geographia Galiciae et Lodom. Premisliae 1786. ad voc. »Mosty.«

[3]) *Wasniewski* l. c. p. 251.

[4]) *Sulzer* l. c. p. 356.

[5]) Nomen pagi desideratur, si non legendum: »*Husch et in pago Jakobeschti, prope Soczawa,*« mirum autem est, de *Faraoni* non fieri mentionem.

ego praefecti, parochi et oeconomi munus obire sum coactus. Catholicorum lapideae quondam ecclesiae penitus dirutae, *Kothnariensi* excepta, in qua sacrum excurrendo celebratur. Alteram *Saboanenses* habebant et *Totruschenses*, prope salisfodinas »*Okna*« dictas, ubi modo parochus a *Groscheschti* diversis vicibus divinum officium peragit. Lapideam ecclesiam etiam in *Kamioneschti* fuisse, vestigia demonstrant. *Baccoviae*, quae parochiae *Kalugerensi* fuit et est incorporata, cathedralis ecclesia pariter olim lapidea fuisse dicitur, ad quam pagus *Batrasch* [1]) pertinebat, in quo, dum erant in provincia Baccovienses Episcopi, sedem suam fixisse traduntur [2]). *Soczaviae* duo numerantur catholicorum ecclesiae ; [3]) *Bajae*, quam urbem nullus modo catholicorum inhabitat, una, sicut in *Akerman*, quam tamen *Turcae*, ne *Moscovitis* obveniat, clauserunt et obsigillarunt. Similiter in *Harleu* ruinas illius videre licet ecclesiae, quam terrae dominns »*Despota*« dictus, catholicis erexerat. [4]) In *Gallasch*, ubi nunc a brevi tempore nulli fideles degunt, olim etiam lapideam vidisses ecclesiam, ut et in pago *Neo Philippi* prope *Huschium*, ut scripta docent publica, idiomate hungarico conserta, quae diligenter ibidem asservantur.

Sic *Martinotti* de rei catholicae statu, suo tempore, quin de sacerdotum progenie, linguae peritia, caeterisque scitu dignis mentionem faciat. Illam autem de linguarum disciplina sacrae de propaganda fide congregationis dispositionem non abolitam fuisse, vel inde colligere licet, quod *Francantonius Minotti,* minorum ordinis religiosus et in Moldavia missionarius, die 23 Aprilis 1775 eidem sacrae congregationi perscripserit, quinam illius in Moldavorum lingua sint hucusque progressus. [5])

Brevi post, anno scilicet 1782 die 28 Aprilis, episcopus *Stanislaus Raimundus Jezierski, Leopoli* moritur, ubi 4 Maji fratrum in sepulchro conditur. Vixerat in pontificatu annos ultra quadraginta. [6])

Quum *Dominicus Petrus Karwosiecki* reservato sibi successionis jure baccoviensis episcopi successor nominatus fuisse contende-

---

[1]) Forte rectius pagus hungaricalis *Baratzi.*

[2]) Traditio penitus erronea, quod e *Quirinii* caeterorumque baccoviensium episcoporum superius commemoratorum relationibus liquet.

[3]) Quaenam et ubi fuerint hae soczavienses ecclesiae, nescitur. Moderna parochialis ecclesia initio currentis saeculi funditus fuit aedificata, ritus graeci autem uniti, quae ante hanc ecclesiam catholicis deserviebat, ut lapidea super portam capitalem docet inscriptio, primitus ritui graeco disunitorum designata fuerat.

[4]) Scilicet *Joannes Jacobus Heraclides*, qui Moldaviam regebat ab anno 1561 ad 1562, et quidem a 10 Novembris ad 10 Novembris.

[5]) *Bian* : De Piluzzio in *Tocilescu* : »Revista« — rumun. —

[6]) *Sadok Baracz* in cit. op. »de Praedicator. ord. in Polonia rebus gestis« II. p. 73. ubi quoque typis edita scripta illius recensentur, numero quinque, quibus addetur necesse est et illud, cujus mentionem faciunt additamenta ad ephemerid. leopolienses anni 1860 — polon — Num. 39.

ret, hoc demortuo sedes illum quidem videbatur manere, sed eam hoc momento non est adeptus. Poloniae siquidem rex ultimus, *Stanislaus Augustus*, etsi Moldaviae confinem reipublicae suae ditionem, *Galiciam* amisisset, romano-catholicorum in Moldavia fidelium patronum ad praedecessorum suorum exemplum agere cupiens, eamque voluntatem suam facto quoque demonstraturus, edixit, ut

XXVIII. Dominicus Szaniawski Praedicatorum ordinis e monasterio lublinensi religiosus, facundia, vitaequae sanctimonia celebratus, baccoviensis nominetur episcopus. [1])

Hic 1744 natus, ordini religioso 1763 nomen dederat et 20 Augusti 1812 simplicis religiosi humili sorte contentus, vitam clausit.

Quum etenim illius in baccoviensem episcopum nominationem, utpote suis praejudicantem juribus, imperator *Josephus II* non probaret, eamque *Stanislaus Augustus* ob intestinam regni discordiam et partes urgere non posset, *Szaniawski* collatam sibi dignitatem resignavit. [2])

Nunc demum sequutus est meritissimus de baccoviensi dioecesi

XXIX. Dominicus Petrus Karwosiecki, qui baccoviensium episcoporum nationis polonae fuit ultimus, et rebus ita ferentibus, a tempore, quo sedem obtinuerat episcopalem, dioeceseos administrationem missioni moldavicae praefecto, patri *Josepho Mariae Martinotti*, committere fuerat coactus, qui patrem *Antonium Mauro* praefecturae hujus in munere sequutus fuisse perhibetur. [3])

Hi missioni praefecti deputata quidem jurisdictionis potestate, quam sacra de propaganda fide congregatio singulis impertiebatur, nunquam autem episcopalis ordinis praerogativis gaudebant, et non solum vitae sanctimonia conspicui, verum etiam animarum Deo lucrandarum flagrantissimi, propriis minime parcebant viribus, ut, quum terrena, quae possidebant, bona, saepe saepius impetita, tuerentur, [4]) divinae quoque domus decorem augerent. Patrem imprimis *Antonium Mauro* plurimum hoc in opere magnanima Polonorum regis juvabat largitas, qui persaepe multis florenorum polonorum millibus perangustis moldavicarum ecclesiarum rebus desideratam ferebat opem. Sic *jassiensem* et alias ecclesias renovatas fu-

---

[1]) *Wasniewski* l. c. p. 276, sequutus patris *Amantini* MS. et acta monast. patrum Praedicatorum Cracoviae.

[2]) Ex actis pp. Praedicatorum Cracoviae, Missionariorum per Moldaviam. »Schematismus« anni 1874. (ultimus, qui in lucem prodiit) eum reticet, similiter et *Sadok Baracz* in opere saepius citato.

[3]) Ex actis archivi missionis jassiensis.

[4]) *Ibidem* hanc ad rem spectantia plurima supersunt acta. Prolixum esset, taediumque procrearet, hic omnia haec adducere velle. Nobilium quoque familiarum respectu silentio haec sunt tegenda, ne viventium adhuc posterorum nominibus detrahatur, si compertum fieret, eorum majores, nullo juris alieni respectu habito, violenta manu rapuisse, quae non essent sua.

isse legimus; [1] quin imo cultus alieni, pratriaequae diversae homines, *Moscovitae*, quorum exercitus Moldaviae Valachiaeque principatum his temporibus occupaverat, missioni catholicae praefecto in augendo honore divino largas manus porrigebant, ut ignoti nominis colonellus ille, cujus apud campiductorem *Romanzow* intercessioni tribuendum erat, jassiensis ecclesiae campanas, fudendis tormentis destinatas, usui pristino benigne restitutas fuisse. [2])

Ipse *Karwosiecki,* quum apostolicam suae nominationis bullam accepisset, solitaeque aestimationi, quam vulgo »taxam« dicunt, persolvendae, reliquvisquesumptibus ferendis minime parem se videret, die 1 Februarii 1782 fratrum sancti Francisci minorum conventualium leopoliense coenobium ad sanctam crucem rogavit, ut aliquot florenorum polonorum millibus, »mutuo sibi datis« levetur, quod fraterna charitas non denegavit. [3])

Fractis tamen viribus quum in praepositura sua sniatynensi tacitus resideret, factum est, ut, si quando, nunc potissimum baccoviensis episcopatus illis adnumeraretur sedibus, quae partium infidelium, seu »in partibus« dicuntur.

Haec a laboriosa coadjutoris quondam vita tam diversa, recessus in otium videbatur. Sed repentina morte correptus, ultimum vitae diem clausit 11 Martii 1789, et postridie, 13 scilicet die Martii, celebrante fidelium inter confluxum funeris ejus solemnia patre *Florentino Pokorny*, sancti Francisci minorum conventualium ordinis et ecclesiae sniatynensis administratore. [4]) Horum etenim religiosorum aliquot piae memoriae defunctus episcopus ad animarum curam vocasse videtur, postquam patrum Praedicatorum monasterium 13 Decembris 1788 sublatum fuerat, illiusque habitatores alio translati, illud deseruerant. Ipsa residentialis episcopi domus ad imperatoris *Josephi II* nutum, una cum bonis terrestribus aboliti patrum Praedicatorum monasterii, sic dicto »religionis fundo« cessit, [5]) cujus ad utilitatem vendita, novum in familia *Kunczewicz* dominum est adepta, qui tamen paucos post annos, quum alieno premeretur aere, proprietaria sua jura familiae *Koszankowski* vendidit. [6])

Haec autem episcopalis domus publicatio cunctis erat iudicio manifesto, sniatynensem quoque praeposituram nulli deinceps episcopo baccoviensi servituram, cujus nominandi jus in se devolutum imperator *Josephus II* vel ideo remisisse videbatur, quod dioeceseos baccoviensis pars illa, quae *Buccovinae* nomine sub illius augustissi-

---

[1]) *Ibidem.*

[2]) *Ibidem* plures huc referendae litterae.

[3]) Hist. dom. ff. minor Leopoli p. 212, cum documentorum contextu.

[4]) Extractus e metrica mortuorum parochiae sniatynensis. *Wasniewski* l. c. p. 275, eandem ad metricam si provocat, sepelientem autem patrem *Callixtum Bierzakiewicz* ord. Praedic. si profert, male sane fuit instructus.

[5]) *Sadok Baracz* l. c. II. p. 503.

[6]) *Wasniewski* loco et nota secunda, duobus asterulis signata.

mae domus potestatem pervenerat, omnibus in publicis rebus — summoto pristino *»status quo«* — legibus et constitutionibus totius imperii, aliena cuncta tollendo, conformaretur. Ut itaque graeci ritus orientalis episcopatus *radovicensis* altissimae vi dispositionis de dato 12 Decembris 1781 spirituali Moldaviae metropolitae jurisdictioni fuerat subductus, [1]) sic modo quoque catholicae fidei dogmata per Buccovinam profitentes, archiepiscopo ritus latini leopoliensi, cujus olim baccoviensis episcopus suffraganeum agebat, subjiciuntur.

Interim, donec omnibus rebus compositis de nova baccoviensis episcopi nominatione quaestio possit moveri, dioeceseos ulteriorem curam missioni per Moldaviam praefecti susceperunt, et ad annum 1808 gesserunt.

Horum hoc temporis intervallo tres nominatur, qui

sede baccoviensi vacante

spiritualibus fidelium necessitatibus providebant, nimirum pater *Fidelis Rocchi*, pater *Aloysius Landi* et pater *Joannes Maffei.*

Pater *Rocchi* anno 1784, quum episcopus *Karwosiecki* adhuc in vivis esset, patris *Martinotti* successor factus, Italus erat, *Fanano*, ducatus mutinensis e loco ducens originem. Quum assiduis intentus laboribus in *Bulgariae* catholica missione multos annos fructuosissime transegisset, in Moldaviam venit, ubi moderatoris optimi, pastoris zelosissimi, virique sincerrimi cordis plura reliquit monumenta.

.Haec inter tria saltem commemorare liceat. Praecibus etenim illius benignam praebens aurem, anno jam 1786 Moldaviae princeps edixit, ne sacerdotum missionis catholicae, dominorum in villa *»Baratzi,«* hanc in villam jura proterve violare quisquam praesumat. Hic nimirum affines, licet possessionis appetitae titulo minime probato, tamen antiquorum limitum signa suum in emolumentum loco moverant. Hoc principis edicto minime contentus pater *Rocchi*, suis apud sontes praecibus effecit, ut propriis sumptibus metales restituerent lapides, ne punientem principem in eos appellare cogatur.

Tunc etiam primum innotuit, villam hanc, duodecim familias hungaricas primitus numerantem, donum fuisse cujusdam fratris monachi servientis, Hungaro-Transsylvani seu Siculi, qui corrogatis superiorum facultate centum taleris, hanc villam emerat et episcopali sedi baccoviensi donaverat, [2]) a quo tempore, quum prius aliud habuisset nomen, vel ideo »villa Baratzi« i. e. fratris villa vocari coepit, ut, quod piae sanctaeque simplicitatis genio ductus, fratercu-

---

[1]) Orig. in archivo capituli metropolitani gr. rit. orient. in Czernowitz.

[2]) Haec traditio repetitur in aliis quoque documentis in jassiensi missionis archivo servatis; sic e. g. in litteris metalibus, quas principis jussu 11 die mensis Januarii 1806 *Monolaki Kristoverdi* confecerat.

lus ille juvante Domino perfecerat, in posterum grata vigeat memoria. [1])

Insuper pater *Fidelis Rocchi*, quum dictam in villam quietae possessionis jus feliciter evicisset, pax autem *Turcas* inter et *Moscovitas* Jassiis 9 Januarii 1792 jam esset praeliminata, lapidem, ut dicunt, movit omnem, ut pocillationis et macelli proventus, hucusque villicorum publicis inserviens necessitatibus, missionis in usum convertatur, quod Moldaviae princeps *Alexander Constantinus Moruzzi* diplomate suo de dato: »Jassiis 18 Martii 1792« benigne concessit. [2]) Hic minoris licet ponderis reditus primis temporibus illam undique corrogatam augebat pecuniarum summam, qua pater *Fidelis* jassiensem ecclesiam, inter ultimi belli tristes vicissitudines denuo flammis consumptam, reconstruxit.

Illa fabrica lapidem promeritus est monumentalem, quem illi successor ejus, pater *Aloysius Landi* posuit. [3])

Hic anno 1789 missionis moldavicae susceperat praefecturam. Ipsius autem rei catholicae per Moldaviam faciem legimus fuisse tristissimam.

Parochiales etenim ecclesiae, quibus sustinendis fidelium insufficiens erat numerus, armorum continuo sub strepitu vel sacerdote carebant, vel, quum *Turcarum*, omni militari disciplinae subducentium sese, praeda factae fuissent, sacra destituebantur suppellectile. Nec ante *Moscovitarum* adventum erat, qui sacrilegam hanc forti manu coerceret et lasciviam et in crimina dissolutionem. Hanc, inter procerum quoque violentam et indomitam concupiscentiam, terrestribus etiam missionis bonis non pepercisse, non est quod miremur. Et sane plurima supersunt publica documenta, quae probant, manibus aliena cupide vindicantibus, minime temperatum fuisse. Prout eventus docuit, pater *Aloysius Landi* 12 Decembris 1805 terrae principis, quoad pacificam villae *Terebes* possessionem, a prioribus principibus toties confirmatam, frustra supplex imploraverat opem. [4])

---

[1]) Nomen, locusque hodiedum servati. Villa 246 numerat animas, quae gaudent ecclesia sub invocatione beatissimae Mariae semper virginis in coelos assumptae, sed incorporatae sunt ecclesiae parochiali baccoviensi.

[2]) Orig. pap. pat. ling. rum. sigillo minio appresso, missionis in archivo Jassiis.

[3]) Monumentum hoc, antea in coemeterio in tumulo positum, translatum in ecclesiam, in parietem dextram sub turri, sub qua patet in ecclesiam adytus, impositum est. Ipsius inscriptionis in eo tenor sequens »Hic Jacet Sepultus — A. R. P. M. — Fidelis Rocchi Fanano, Mutinensis — Bulgariae XIII A Miss. Apost. — Moldaviae XI Praefectus — Ecclesiae Hujus Aedificator — Obiit A MDCCXCV. 8 Sept. — Anno Aetatis Suae LIV. — In Tesseram Gratitudinis Hoc — Marmore Tegebatur Anno MDCCCVIII — Cura A. R. P. M. — Aloysii Landi — Post Bina Lustra In Praefecturae — Officio — Successoris.« — Cum lapide videntur et ossa translata fuisse.

[4]) Litterae hunc in finem supplices, in forma libelli porrectae, in arch. miss. Jassiis.

Frustra quoque villam *Baratzi* missionis bonum esse nonagenariis majores testabantur senes. [1]) Impetitores legibus et jure persequendo patris Aloysii successores adhuc diutius implicati fuissent litibus et forsitan incassum omnia tentassent, nisi moscoviticarum militarium personarum authoritate modum in efficacissimum fuissent adjuti. [2]) *Moscovitarum* etenim imperator *Alexander I* Moldaviae principatum 1806, quo tempore pater *Joannes Maffei* missioni praepositi munere fungebatur, [3]) eo fine copiis inundaverat suis, ut violatorum a *Turcis* tractatuum robur, et opressam Christi fidelium cujuslibet ritus libertatem — sic manifeste promulgabat — revindicet. [4])

Ipsa vero baccoviensis dioecesis anno tandem 1808, quum per annos undeviginti dignitatis episcopalis pastore viduata fuisset, novum antistitem, sed non parvo labore est adepta.

Moldaviae nimirum princeps, invitus licet, cedens tamen urgentibus, qui *Jassiis* residebant, Austriae Moscoviaeque plenipotentiariis, diu coram cardinalium collegio, sanctissimoque patre *Pio VII* nominationi huic instabat. Et nominatio haec multo citius fuisset sequuta, si non mensae titulus rem omnem procrastinasset. Paupertas etenim illa, cujus gravi sub onere non sola praesulis ecclesiastici dignitas, verum ipsa rei catholicae publica salus indies magis magisque patiebantur et intermoriebantur, eo minus videbatur tollenda, quo sumptuosior in capitali principis urbe sedes, quo vividior egenarum ecclesiarum in episcopum spes concepta, quo saepius denique scholis quoque parochialibus et earum ludimagistris a communi pastore, vel potius a communi cunctorum patre consulendum erat, si non et succurrendum. [5])

Plura namque vergentis duodevicesimi saeculi nos docent monumenta, Moldaviae princcípes illos, quos »*Phanariotas*« vulgo vocant, quum ipsi litterarum studiis essent deditissimi, severis etiam edixisse mandatis, ut non solum in quolibet coenobio, verum etiam in qualibet episcopali sede, publicum in juventutis usum litterarum institu-

---

[1]) Protocollon de dato Baratzi 22 Juni 185. *ibid.* Testium natu minimus 35 annorum, illi proximus 60 etc.

[2]) Litterae hac de re plures in dicto superius archivo.

[3]) Prima vice nomen illius occurrit in diplomate, villam *Baratzi* spectante, (quod et *Franciscum Josephum Gabrielem Barbieri* qua missionarium nominat meritissimum ex anno 1806, mense Jannario, sine dato diei. Quum autem *Landi* perhibeatur 1808 patris *Rocchi* monumentum ecclesiasticae parieti imposuisse, dubium non est, quin post aliquod functionis interstitium, praefecturae vacanti sit praepositus. Ut aliae dignitates monasterii seu familiae, sic et praefectura definitum ad tempus concedebatur, quo elapso prior praefectns iterum retineri seu confirmari poterat.

[4]) Cf. Manifestum sic dictum de dato 12 Decembris 1806 apud *Kodrescu* l. c. III. p. 210. sq.

[5]) *Wasniewski* l. c. p. 277 patris *Amantini* missionarii sequutus Ms, qui Romae baccoviensium episcoporum composuerat seriem, ducentibus eum paucissimis quidem sed ponderosissimis sacrae congregationis documentis.

atur palaestra, cujus ad sustentationem coenobii proventuum pars, in episcopi sede vero tributum convertendum erat, quod parochorum quilibet episcopo de jure duobus quotannis florenis pendebat. Haec forma, licet graeci ritus orientalis incolas inprimis tangeret, quum in aliarum confessionum asseclas eo fine videretur dilāntanda, ne in publicis muneribus obeundis ob literarum defectum deteriori sorte sint obstricti, quumque plures romano-catholicae baccoviensis dioeceseos ecclesiae pastore, adeoque et institutore carerent, ipsum insuper jassiense fratrum minorum conventualium monasterium, in quo sedem suam episcopus figere debuisset, summa penuria laboraret: salutaris haec scholarum erectio quoad novum episcopum denominandum validum obicem et moram intulisset, nisi sacra de propaganda fide congregatio, divinae gloriae promovendae zelo ducta, fideliumque deserviens necessitati, convenientium pecuniarum subministrationem in se suscipiendo, difficultatem omnem submovisset. [1])

Id alia ratione missionarius apostolicus *Gianfrancisco Barberi de Bologna* frustra tentaverat assequi. *Gallorum* etenim sub *Napoleone* rebus in *Italiae* publicis momentum, illi desiderium suggessit, hujus ope quae perfici possent, experiendi. Litteris itaque de dato: Mediolani 22 Decembris 1807. ad Italiae regimen datis, petiit, ut Moldaviae catholicis et episcopo succurratur. Priorum numerari 21,000 cum 20 ecclesiis et duodecim missionariis, maximam ad partem Italis, qui latifundiis ad eos et episcopum sustentandum desti natis orbati, unicam spem suam in *Gallia* reponunt, cui, post Poloniae tristem interitum, catholicorum per ottomanicum regnum patronatus *de jure* sit addicendus. Excelsum itaque regimen, quae suarum sunt partium, hac in causa subire dignetur, ut *Napoleonis* authoritate malis medeatur. [2])

Sic a *Pio VII*, pontifice maximo, die 26 Decembris 1808. [3]) baccoviensis episcopus creatus est: et

Sedes occupata

denuo novum decus, novum solatium, novum fidelium refugium esse coepit. Neonominatus autem

XXX. B o n a v e n t u r a C a r e n z i, fratrum minorum conventualium ordinis religiosus, vir doctus, affabilis, vitae sanctitate clarus, attamen summa senectutis aegritudine debilitatus, quum incumbentis officii oneri suos penitus impares videret humeros, post sexennium, anno videlicet 1814 dignitatem baccoviensem deposuit,

---

[1]) Plura huc referenda reperiuntur in arch. missionis Jassiis et in *Kodrescu* l. c. passim.

[2]) *Odobescu:* Supplementum ad Monum. *Hurmuzakii* I. 2. per 486 ucem DCXXXVIII.

[3]) *Wasniewski* l. c.

et in civitatem *Plebis* in *Umbria* translatus, ibidem diem obiit extremum.[1])

Sub illius episcopatu quod memoratu dignum accidit, illud censemus, 3 Februarii 1810 romano-catholicos incolas jassienses jussos fuisse, mortuorum suorum sepulturam non amplius in ecclesiae parochialis ambitu, sed extra civitatis pomoeria instituere, simulque coemeterii antiqui locum coaequare,[2]) quod principis edictum et in aliis terrae civitatibus et pagis promulgatum est. Caeterum et *Alexander Calimachus*, princeps, die 11 Januarii 1810 libertates et jura catholicis a praedecessoribus suis collata, roborataque, rata et grata habuit;[3]) quid autem hae libertatum juriumque confirmationes plerumque valuerint, illis e verbis facillime con jicere licet, quae patris archivarii manus in diplomatis dorso posteris reliquit: »Nullum valorem habuit; oppressi tributis et dilapidati homines.«

Successoris autem *Carenzii* nominatio per multas ad optatum tandem finem perducta fuit ambages, de quibus lectorem benevolum informemus oportet. Nam licet

XXXI. Bonaventura Berardi, Ravennae natus, fratrum sancti Francisci minorum conventualium religiosus, a summo pontifice *Pio VII* die 4 Novembris 1814 baccoviensis episcopus fuisset nominatus et ab apostolico *Viennae Austriae* nuntio *Severoli* consecratus, tamen in Moldaviam, utpote dioecesim suam, non facilem habuit aditum.[4])

Etiamsi rerum narrandarum notitiam non aliunde nacti fuissemus, ipsa jam *Berardii* Viennae consecratio cogitationem suggereret, illius in baccoviensem episcopum denominationem *Austriae*, rei per Moldaviam romano-catholicae tutricis, opus fuisse, quod invito principe susceptum et ad finem fuerat perductum. Nam quae sequuntur, probe demonstrant, moldavico regimini, cujus in catholicos animus erat inimicissimus, novum catholicorum episcopum — qua talem — personam ingratissimam repraesentasse. Hanc solum ob causam etenim vi publici sui quo principis ad aulam fungebatur officii, rebus internationalibus Austriam inter et Moldaviam componendis designatus Austriae »*consularis*,« ut vulgo dicunt, »*agens*«, anno 1815 vergente, principem *Scarlat Kalimachum* litteris adiit, ut commorandi potestatem impertiri dignetur episcopo, qui titulo baccoviensis episcopi consecratus, rebus romano-catholicis per Moldaviam provideat. Princeps 9 die mensis Decembris ejusdem 1815 anni, consilium suum, »divan« vocabulo turcico dictum, seu terrae suae magnates tam ecclesiastici quam saecularis ordinis, in id inquirere jussit, *num quo*

[1]) *Schematismus missionis* citatus p. 10.

[2]) Orig. charta. fol. pat. ling. rum. sigill. minio. appress. in missionis archivo Jassiis.

[3]) *Ibidem*, similiter.

[4]) *Wasniewski* l. c. p. 278, sequutus patris Amantini Ms.

tempore baccoviensis aliquis episcopus unquam extiterit in Moldavia? (!!!) Sub *Benjamini* graeci ritus orientalis metropolitae praesidio principis ad quaestionem sequentem in modum die 15 Decembris 1815, itaque post sex a dato principis jussu dies, fuit responsum: [1]) »Altissime Domine! Illustri scheda Altitudinis tuae de die 9 hujus currentis mensis Decembris jussi fuimus, ut, congregati in sacris metropolitanis aedibus, inquiramus et extra dubium ponamus quaestionem coram Altitudine tua motam et factam ex parte honorabilis caesareo regiae agenturae, — quum Austriae sit desiderium, ut in Moldaviam veniat consecratus romano-catholicus episcopus, cum titulo Baccoviensis, in eorum emolumentum, qui viventes ad legem fidei catholicae, terram hanc inhabitant, — utrum et quando venerit in Moldaviam hujusmodi praesul, *aut ei similis* et quando talis adventus interruptus fuerit? et quibus de causis? utque de his nos instruamus. Itaque illustri mandato satisfacturi, nos in sacris metropolitanis aedibus congregavimus et magna sedulitate perscrutavimus cunctos chronographos et quaecunque majores hac de re scipserint et non intermittimus, Altitudini tuae, quae reperimus, sequentibus referre. Nec in chronicarum, qui hic reperiuntur libris, [2]) in quibus terrae hujus exponuntur fata, nec in vetustissimis documentis, de rebus ecclesiasticis agentibus [3]) — et sunt, qui duorum retro saeculorum tempus attingant — vestigium invenimus, unquam aliquem praesulem catholicum, sub alicujus terrae circuli nomine, vel *etiam sub alieno penitus nomine* (!!!) stabilitum hac in terra fuisse, [4]) neque parentum, avorum et aliorum majorum nostrorum quisquam audivit, unquam alienae fidei praepositum episcopum hac in terra fuisse stabilitum. [5]) Dicunt autem catholici, se catholicum episcopum Baccoviae habuisse. Nos autem in terrae nostrae chronographis reperimus, quod

---

[1]) *Melchisedek* in: »Papismus etc. p. 40. sq. documentum hoc, lingua rumuna scriptum, reproduxit, quod verbotenus huc transferre vel ideo maximi momenti duximus, quia nos docet, principis consilium vel malignissimo spiritu vel rerum gestarum ignorantia veritatem declinasse, quod in notis adjectis demonstrabimus.

[2]) *Kogalnicean* Moldaviae chronographorum annales publicam in lucem edidit quidem, sed moderni, veritatis inprimis amantes rerum gestarum scriptores, domestici non minus quam exteri, quaecunque his in annalibus — illis fratrum *Kostin* exceptis — continentur, tamdiu vilipendunt et respuunt, quoadusque comparativae critices judicio non fuerint comprobata.

[3]) Certo certius cogitabatur hic solum de rebus ecclesiasticis graeci ritus orientalis et non aliis, caeterum certe nec lectis quidem documentis, utpote slavico non noto conscriptis idiomate.

[4]) Nec metropolita, nec magnates itaque de cerethensi baccoviensique episcopatu quidquam audivere? vel subdole de *»terrae circulo vel ambitu«* **non** *»urbe«* loquuntur?

[5]) Metropolita, bojerones, parentes illorum et avi *Càrenzium*, qui paucos ante annos baccoviensis episcopi titulo principi notissimus erat et *Jassiis* degebat, non noverant, nec de eo quidpiam audiverant? *Aliena fides* idem certe quod: »non orientalis graeca«?

illis temporibus, quibus *Aron* wojevoda secunda vice dominabatur, a praepotenti porta subvectus in solium, *Bathory Sigismundus*, Transsylvaniae rex, [1]) immittens copias suas, praedictum terrae dominum furtim de loco movit, et abducens eum in Transsylvaniam, decapitavit, [2]) obtrudens hominem suum *Rezvan* in vojewodam, qui in catalogo dominorum terrae *non* consignatur. [3]) (Rezvan secum et episcopum catholicum adduxit). [4]) Postea *Poloniae* rex ad preces nonnullorum terrae magnatum, qui propter tyrannidem quae hic saeviebat, eo confungerant, in terrae dominium *Jeremiam Mohilam* vojevodam introduxit, e moldavicorum magnatum gente, qui Polonorum comitatus copiis, principis occupavit sedem et a Transsylvaniae rege positum terrae dominum trucidavit. Hunc dominum potentissima quoque recipiens Porta ratum habuit. (Jeremias catholicum a *Rezvan* adductum episcopum profligavit). [5]) Sed scopum suum non adtingens Transsylvaniae rex, litteris, tam ad summum pontificem quam ad germanorum imperatorem datis conqueritur, se multis copiis et pugnis terram e turcarum jugo liberasse, spemque non vanam aluisse, gentem cum occidentis ecclesia uniri posse, modo tamen Poloniae regem, — terrae dominum imponendo *Jeremiam* vojevodam, — Moldaviae populum denuo Turcarum imperio subjecisse, quare, post alias, papam inter et germanorum imperatorem ac Poloniae regem transactiones, deseruerit [6]) occidentalem ecclesiam ut ecclesiae [7]) impedimentum. Sed in hujus temporis ecclesiae rebus gestis invenimus, quod *Clemens VIII* cogitasse potuerit, spem ipsi fulgere, nationem nostram

---

[1]) Rectius »princeps.« Mirum est, et id eos nescire !

[2]) Rectius : »in Alvincz *veneno* sustulit.«

[3]) *Melchisedek* in »Chronicon Huschiense« Bucurest. 1879. 8. p. 461 tabulam profert chronologicam omnium dioeceseos graeci ritus orientalis Huschiensis episcoporum, et contemporaneorum illis terrae dominorum, in qua tabula *Stephanus Rezvan* successor *Aronis* et antecessor *Jeremiae Mohila* fuisse perhibetur. Similiter eum et alii quamplures minime silentio tegunt.

[4]) Haec intra parenthesim dicta, Melchisedekii, hujus documenti, plurimis de causis curiosissimi, videlicet editoris, inserta videtur sententia, sed penitus erronea. *Rezvan* quippe nullum catholicum episcopum in Moldaviam adduxit. Superius namque legimus, eo tempore post *Thomam de Zagradino* baccoviensem sedem vacasse, *Clementem*que VIII. die 3 mensis Januarii 1596 *Poloniae regi* nuntiasse »se Praelatum *in Poloniam* esse missurum, *qui cunctis* baccoviensis episcopatus *necessitatibus potestate plenaria provideat.*« Erat is *Benedictus* episcopus *Casertanus*, qui tamen *in Moldavia non fuit.* Insuper etiam *lis eo tempore fuerat oborta* leopoliensem inter et camenecensem episcopum *de Moldaviae* visitandae *jure.*

[5]) Inclusa peranthesi, Melchisedekii videtur sententia, commentita sane. *Rezvan* etenim episcopum, ut praecedens nota manifeste docet, non adduxit, ergo et profligare non potuit, quum e contrario quae de *Arseghno* et *Valeriano Lubieniecki*, documentorum publicorum fide ducti, superius protulimus, amicissimum principis in catholicos animum, sive corde nutritum, sive solum auxiliantium et in terra praesentium Polonorum causa fictum, demonstrant.

[6]) *Jeremias ? ?* vel forte *Bathory ? ?* Risum teneatis amici !

[7]) Romano-catholicae ? Sententia nimis obscura.

ad se trahendi, quapropter episcopum miserit, et quod dominus *Jeremias Mohila* vojevoda, vel ideo quia rectae fidei potentissimaeque portae subditus erat, non allaboraverit, ut hic episcopus in terra stabiliatur. [1]) Aliam autem certitudinem non sumus ex historia nacti, unquam catholicum quempiam episcopum in hac terra nostra constitutum fuisse, nec ante dictam epocham, *neb post illam usque nunc.* Notae sunt leges et privilegia hujus terrae, ad hodiernam usque diem et quod sub orthodoxo regimine tantummodo Metropolita fuerit et episcopi terrae, qui hodiedum nominantur ab eparchiis, quae designatae dataequae sunt a priscis temporibus, a dominis, qui ab initio ceperunt huic terrae dominari, quando spirituales erigebantur sedes eo rerum ordine et ambitu, quibus hodie reperiuntur. Et praesules isti, quando secundum veterem consuetudinem et secundum canones sanctarum synodorum oecumenicarum creantur, e medio patriotarum hujus terrae leguntur, et confirmatur illis pastoralis cura pastoralis oblatione pedi, per legitimam auctoritatem politicam facta. Definitive tunc manet in sede, providens concredito sibi gregi mortis ad momentum. Alii tamen, alienae scilicet nationis et fidei hac in terra *non gaudent hoc privilegio,* [2]) sicut et praesules non, qui licet unius nobiscum sint fidei, solum episcopalem sortiti sunt titulum, qui secundum canones sanctarum synodorum oecumenicarum sine benedictione ordinarii nullum officium aut munus pastorale peragere possunt, quin imo, quibus sine licentia nec intrare quidem in eparchiam conceditur. Et in his sacri canones apud nos multo sunt severiores, quam apud alios. Aliquoties accidit, huc advenisse praesules catholicos et armenos — (post obtentam a terrae principe licentiam) — qui tamen veluti peregrinantes erant, quum tamdiu solum hic manerent, quoadusque religionis illorum necessitatibus non fuisset provisum, quo facto redierunt in locum unde venerant. Stabilitus autem nullus fuit. Quia igitur sacri synodorum oecumenicarum canones vetant, et nemo praesulis alienigeni hac in terra meminit, [3]) statuum omnium consensu potestate praediti; quum insuper in orientali ecclesia, matre nostra, hujusmodi nemo approbetur, sacri canones autem et majorum antiqui mores in hac terra legum ad instar aestimentur: decernimus, eum [4]) admitti non posse.« — —

Skarlat Calimach, terrae princeps, hac summorum consiliariorum suorum accepta relatione, tenorem illius tam sublimi portae quam Austriae, cujus in votis romano-catholicus in Moldavia fuerat episcopatus, transmisit. Dum hujus rei negotio transactiones tem-

---

[1]) Cf. utrasque notas praecedentes. Difficile satyram *non* scribere.

[2]) Exercitio fidei libero, publicis pactis romano-catholicis in Moldavia permisso, non obstante? Implicite caeterum — sibi contradicentes — hic insimul fatentur alienae nationis et fidei praesules in terra fuisse.

[3]) Id est: graeci ritus orientalis profecto.

[4]) Id. est: romano-catholicum baccoviensem episcopum.

pus consumunt, *Bonaventura Berardi* 13 die mensis Aprilis 1818 obiit.[1])

Duorum illi principum et publicarum ab illis legum sancitarum, partitae quoque dioeceseos in administratione diversa semper ratio erat habenda. Moscovitarum videiicet imperator *Alexander I*, quum *Bessarabiae*, noviter a Moldavia adeptae, res ecclesiasticas firmum in ordinem redigere vellet, edicto suo de dato: Petropoli 1ª Aprilis 1816, meridionalem illius partem sub veteri baccoviensis episcopi spirituali manuductione relinquere decrevit.[2]) Accedebat etiam sacerdotes missionarios usitatarum in Moldavia linguarum, polonicae praesertim, ruthenae, germanicaeque maximam ad partem ignaros, adeoque subeundis in vinea domini laboribus haud ubique locorum fuisse pares.[3])

Haec autem exterarum in Moldavia gentium, *gallorum* puta, *germanorum, hungarorum, italorum*, *polonorum* et *ruthenorum* colluvies multis e causis orrginem suam traxisse perhibetur. Prima causa mos erat, quem Moldaviae principes temporibus ab antiquissimis pietate quadam amplectebantur, nulli terrestrium possessorum, pagum condituro, licentiam ad id alia sub conditione concedendi, quam, ut deducendos colonos alienis e terris desumat.[4]) Horum

---

[1]) Prospectus etc. l. c.

[2]) In Jassiensi missionis archivo. Similem imperatoris dispositionem, quoad graeci ritus orientalis asseclas, ad *Gabrielem*, terrae metropolitam exaratam, reproducit *Kodrescu* l. c. VI. p. 60—62.

[3]) *Ibidem* permultae reperiuntur fidelium querelae, sacerdotem linguae peritum petentium, flagitantiumque.

[4]) Formula curialis in vetustioribus documentis, idiomate slavico conscriptis, et deducendorum colonorum facultatem impertientibus, haec est: „на то оні кари єлици хтѣт призвати кꙁ тог сел, варє или рꙋс, или мꙋнтѣнꙋ, или ꙋгринꙋ, или срꙁкен, или лѧх“ (cujus ultimi vocabuli loco nonnunquam et „клѧх“ reperitur, quod tamen cum „мꙋнтѣнꙋ“ synonimum est, quia rumunam aeque progeniem denotat; quapropter in vocabulo „клѧх“ lapsus calami merito subsumendus, nisi »extraneum« sensu translato designari subsumpseris.) Verba formulae dicunt: »Et illam habeant libertatem, quotquot voluerint, in hunc pagum, sive Russos (i. e. Ruthenos), sive Muntenos (i. e. sive a »Muntenia« seu »Valachia transalpina« dictos Valachos) sive Hungaros, siue Serbos, sive Polonos, sive (si „клѧх“ occurrit »exteros quosque«) scilicet: »conducere.« Patet autem, ut plurima diplomata dissertissimis docent verbis et Moldavos, i. e. terrae suae habitatores in has colonias vocatos fuisse, attamen, licet subditos alienos, fugitivos tamen, qui redire non cupientes, intra unius anni spatium vel — quod majoris arbitrabatur utilitatis et commodi, — plurium annorum intervallo jam interposito, suis a pristinis dominis persequuti quidem, quaesitique, sed non capti fuerunt. Saepe numero documentum, deducendorum colonorum impertiens facultatem, quoad opifices inter illos locandos, horum opificum et numerum et genus praefinit. Plerumque conceduntur vehicularii, pistores, lanii, pellifices et sutores, qui terrestrium dominorum suorum in usum et fructum laborantes, horum consensu, liberis a domini labore temporibus, artificio suo sibi solis questum colligere poterant, dummodo in proxima terrae civitate, principis licentia coadunatorum sui generis opificum communitati seu consortio fuerint inscripti.

paucissimi, licet inter Rumunos habitantes, *Rutheni* plerumque, patriae consuetudinis, linguaeque nonnunquam sunt obliti. Propterea avito quoque divini cultus ritui fideliter adhaerentes, et horum, qui sese cum ecclesia romano-catholica conjunxerant, seu sic dictorum »unitorum« posteri, si proprio sacerdote destituuntur, romano-catholicorum ritus latini sacras aedes frequentant. *Poloni* vero vel illorum erant posteri, qui copiarum in Moldaviam irruentium calones, aut relicti vulnerati, nonnunquam et perfugae dum essent, hic remanserunt, vel etiam operarii, qui, diurnam querentes mercedem, facili certoque lucro, simul et rerum victui servientium vilitate [1]) permoti, patriam repetere recusaverant. *Gallos* nobilium liberorum educatio, fabricarum terrestrium *Italos* allexit copia, *Germanorum* autem et *Hungarorum* originis incolae, magnum ad numerum aut pronepotes illorum colonorum erant, quos decimo tertio saeculo vergente moldavicis in urbibus et villis consedisse constat, aut illorum, quos a Moldaviae principe Stephano, cui Magni cognomen erat, belli tempore, quod cum *Mathia Corvino* gesserat, captos et retentos fuisse legimus. Insuper terra subsequis temporibus egenorum hominum, *Siculorum* praesertim semper nova ditabatur affluentia, qui numero crescebant eo facilius, quo magis labore sedulo, parsimoniaque prudenti, brevi facti sunt opulentes.

Sic fidelium catholicorum in Moldavia populus, ut nullibi terrarum, in tam augusto locorum ambitu multilinguis evasit. Animarum igitur pastoribus hungaricae, slavicarumque linguarum, quas Itali sacerdotes hodie quoque perdifficulter ediscere possunt, probe gnaris opus erat, quin defectui sufficienter provideri potuisset.

Silentio tamen praeteriri nequit, episcopo *Berardi*, summis difficultatibus et penuria laboranti, *Francisci I*, Austriae imperatoris piissimi non defuisse magnanimam opem et subsidium, quum semel compertum fuisset, sacrae de propaganda fide congregationis licet non parva subventione missionis necessitatibus, ob crescentes indies rerum sumptus, minime radicitus mederi posse.[2])

---

[1]) Hanc ut probemus assertionem, illum annonae sufficiat iudicem in mentem revocasse, quo terrae princeps *Alexander Constantinus Moruzzi*, Jassiis 14 Decembris 1792 cujusvis generis rerum venalium praetia stabilivit. Hunc iudicem reproduxit *Kodrescu* in diplomatario suo IV. p. 129—136. Huc etiam reduci possunt verba diplomatis illius, quo *Constantinus Michael Czehan Rakowitza,* Moldaviae dominus, die 9 Juli 1752 onera publica illis ferenda limitat, qui vel in Moldaviam sunt reversuri, vel in illa novorum advenarum adinstar habitaturi. Hoc diploma profert *Kodrescu* : IV. p. 1—5. Et sequentibus quoque temporibus Moldaviae terra vili victualium pretio, labore mercenario facili, summaque hospitalitate, qua — operariorum defectu — venientes ad se solebat excipere, juste laudabatur, multorumque, quorum alibi res erant vel deperditae, vel desperatae, ut hodiernam quoque in diem, tutum facta est refugium.

[2]) Plura huc referenda reperiuntur Jassiis, in missionis archivo documenta, sicut et in *Kodrescu* passim.

Bonaventura Berardi mortuo

Baccoviensis episcopatus sublatus

est, quod sequenti modo factum fuisse legimus. Quum de novo dioeceseos episcopo nominando res ageretur, Moldaviae princeps et senatus illius, vulgo »divan« dictus, apud sacram de propaganda fide congregationem porrectae petitionis auctores erant, ut de novo creandus episcopus, qui »baccoviensis episcopi« titulo perfrueretur, nec cogitetur quidem, sed et alius in Moldaviam non mittatur. Quum sese »tolerantes« ore pleno jactarent, aequitatis erant obliti, quae praesulem episcopali potestate gaudentem, Moldaviae romano-catholicis incolis praeficiendum non suggerebat, sed imperabat. Illi tamen petitioni sacra de propaganda fide congregatio suum denegavit assensum. Aeque permoveri non poterat, ut permitteret, si, quod catholicorum tutrix, Austria petebat, episcopus omnino foret nominandus, baccoviensis episcopi titulo non utatur in pertractandis cum Moldaviae regimine rebus publicis, sed solummodo in litteris ad sacram congregationem datis vel ab illa dandis. Aliter, ut videbimus, rumor ferrebat.

Hujus propositionis pertractatio ne ulteriorem in controversiam vocetur, statutum est, ut baccoviensis episcopatus etiam quoad nomen cesset, rei per Moldaviam catholicae missionis imprimatur signum et

Visitatores apostolici, partium infidelium episcopi,

quemadmodum id, suadentibus temporum circumstantiis, praeteritis jam saeculis usuvenerat, in Moldaviae domini vineam mittantur,[1]) et quum sancti Francisci minorum conventualium ordinis fratres hac in missione laborarent, placuit etiam, ut visitator apostolicus amodo in posterum hujus ordinis religiosi sit membrum. Ita

I. Philippus Paroni visitator creatur apostolicus.[2]) Et vel inde colligere licet, quantopere missioni praeposito dignitatis et auctoritatis episcopalis fuerit opus, quum inter *Bonaventurae Berardi* mortem et *Philippi Paroni* nominationem, quam 12 Julii 1818 perfectam legimus,[3]) trium tantummodo mensium intercesserit spatium.

Paroni, qui, Romae natus, ibidem sancti Francisci fratrum

---

[1]) *Melchisedek*: »Papismul etc. p. 44. — Hanc de romano-catholico episcopo transactionem alii quidem aliter narrant, asserentes, principem eiusque consilium mente catholicis non fuisse tam aliena, qui praesulem admittere noluissent. Sed *Melchisedek*, documentorum innixus authoritati, nobis hic videtur unice credibilis, quum insuper haec documenta caeteros vitiositatis coarguant.

[2]) *Wasniewski* l. c. p. 278. Si tamen hic inserit, anno 1830 p. *Ardoini* episcopum consecratum fuisse, narrat, quae probari non possunt.

[3]) *Idem* ibid. patris *Amantini* sequutus MS.

minorum conventualium ordini nomen dederat, antequam novum susciperet officium, *Illoae*, [1]) partium infidelium episcopalem sibi collatam vidit dignitatem. In Moldavia, — si tempora nactus fuisset pacatiora — procul dubio res ecclesiasticae majora semper coepissent incrementa. Laudatur etenim ejus rebus in agendis dexteritas, suscepti zelus officii, vitae candor, et cordis, cunctos devinciens, mira simplicitas. Attamen vix rumor hujus ejus nominationis in Moldaviae vulgus erat sparsus, quum principis consiliarii, decreto terrae domini super hoc non exspectato, sua sponte se congregarent, hoc in casu quid faciendum esset, deliberaturi. Die 11 mensis Martii 1819 metropolitanis in aedibus coadunati, coram principe publico scripto, quae de *Paronii* nominatione sentirent, sunt eloquuti.

Prolixius hoc documentum, [2]) ut illud, quod ad 1815 adduximus, conqueritur *baccoviensem episcopum* romano-catholicum olim nominatum fuisse, quum *Baccovia* tamen ad graeci ritus orientalis romanensem pertineat episcopum, [3]) et dolet, modo titulo *baccoviensis* episcopi penitus misso, neocreatum *moldaviensem* dicendum esse, qui rumor omnium animum perturbet. Principis esse, timendis inde periculis obicem ponere. Subsequuntur eaedem erroneae de *Sigismundo Bathory*, *Arone, Rezvan* et *Mohila* notiones historicae, quas documentum, episcopum catholicum proscripturum, anno 1815 protulit. His adnectitur, et ipsos monachos romano-catholicos, qui fidelium docendorum causa venissent, saepe saepius fustibus et lapidibus pulsos, imo nonnunquam et occisos fuisse, [4]) quae coadunati consiliarii proferunt, ne pax turbetur, et iterum, ut pridem jam fecerant, ad canones ecclesiasticos recurrunt, quin illis injustum videatur, romano-catholicis orientalis ecclesiae canones obtrudere. »Arceatur igitur,« — ut documentum concludit, — »romano-catholicus episcopus, secundum leges ecclesiasticas, terrae consuetudinem et institutiones politicas.«

Unum adhuc addamus oportet.

In hoc documento litterarum quoque fit mentio, quas pontifex maximus Clemens VIII ad *Poloniae regem*, *Zamojskium*que, magnum rei publicae polonae cancellarium dederat, quibusque Polonos

---

[1]) Haec *Iloa* non confundenda cum jacente prope Hetruriam hujus nominis insula, quae postmodum *Aethalia* (Elva) dicebatur.

[2]) *Melchisedek*; »Papismul« etc. p. 44—48.

[3]) Risum teneatis amici tunc quoque, si documenti verba: »cum ca nau statut vre odata latinesc episcop Bacoviu pentru ca nici au statu scaun de episcopie vre odata in Bacau, ca unul ce iaste supus din inceput episcopiei Romanului (i. e. quia non datur baccoviensis episcopus latinus ab olim; nunquam enim Baccovia fuit sedes episcopi, quum ab initio sit supposita romanensi) solius Melchisedekii essent explicatio. Non enim de *loco* sed *de fidelibus* agitur, qui *si* graeci ritus orientalis, romanensi praesuli Baccoviae sic subsunt, ut alibi locorum in illius eparchia.

[4]) Certe non a fidei catholicae confessoribus, et a graec. rit. orient. asseclis vix fidei causa. Nam superius jam legimus, visitantes dioecesim episcopos *ab alienarum rerum cupidis* violenter impetitos fuisse.

in Moldaviae res publicas ingerentes sese vituperat.[1]) Sed vituperium hoc a summo pontifice fuit expressum, *quia* Moldaviae ad catholicismum sub principe *Petro* inchoatam *conversionem* praepeditam arbitrabatur, non autem, ut in documento suo bojerones et episcopi terrae, graeci ritus orientalis, volunt, quia dicta conversio hac Polonorum in terram invasione penitus irrita facta sit, quod authoribus documenti de dato 11 Martii 1819 sufficienti videtur indicio, Romam et ejus praesules semper inhiasse in Moldaviae graeci ritus orientalis ecclesiam.

Quidquid sit, cuncta, quae fiebant, in catholicos animi summam testabantur inimicitiam, et *Philippus Paroni* hos excandescentes inimicos vix partim compescuerat, et vix a terrae principe *Michaele Gregorio Suciu* die 13 Februarii 1820 libertatum et privilegiorum catholicis concessorum impetraverat confirmationem,[2]) vixque medendis in dioecesi sua malis, ecclesiis videlicet juvandis, restaurandis aut aedificandis, parochiis constituendis et scholis reformandis animum adjecerat, quum exortus in *Graecia* contra *Turcarum* tyrannidem armatus totius populi motus, Moldaviae quoque principatum, ubi, vojevodarum fanariotarum a temporibus, plurimi graeci quoque consederant, eadem bellandi cupiditate peteret. Novos indies addebat animos *Alexander Ypsilanti*, qui proclamatione de dato: »Jassiis 24 Februarii 1821« omnes in Moldavia Valachiaque commorantes et habitantes *Graecos*, viros armis utiles, libertatis vindicandae gratia simul et fratrum ad auxilium ad arma convocaverat.[3]) Hos Jassiis solemni sibi sacramento devinxit.[4]) His tamen omnibus non contentus, cujuscunque ritus ecclesiasticos antistites altera proclamatione de dato: »Roman die 17 Martii 1821,« denuntiatorium in modum hortatus est, ut communis patriae salutem verbo, factoque juvent.[5]) Mox e castris Tergovisti positis, die 18 Maji 1821, sibi timentibus, adeoque turmatim alienas in terras fugientibus pro certo pollicebatur et affirmabat, se Moldaviae populationem non passurum,[6]) et principem *Georgium Kantakuzenum*, ut excitatos leniret animos, in Moldaviam misit.[7]) Hic quidem suorum militum praedationes et rapinas, quin majoris quid perficere, praesertim vero quin turbatos animos componere potuisset continuit.

Ut omnes aliorum rituum episcopi *Philippus* quoque *Paroni*,

---

[1]) Agitur de litteris de dato Romae 8 Nov. 1595. Cf. *Theiner* l. c. p. 230. sq.

[2]) Orig. charta pat. lingua rumun. sig. minn. appress. in archivo missionis Jassiis.

[3]) *Kodrescu* l. c. V. p. 90 sq. sequutus Petropol. ephemer. anni 1821 et Journal des Débats.

[4]) *Ibid.* Cf. Pichler: Historia scissionis inter eccles. orient. et occid. Monachii 1864—5. 8. Vol. II. p. 246. germ.

[5]) *Kodrescu* l. c. VI. p. 29—32.

[6]) *Idem* ibid. VI. p. 41 sequutus Journal des Debats anni 1821 die 9 Julii.

[7]) *Idem* l. c. VI. p. 42.

dolens quidem adversam terrae, fugitivorumque fortunam et eandem augere non suarum esse partium ratus, omnibus his provocationibus non solum obedientiam, verum etiam aurem denegavit. Sed licet jam 24 Augusti 1821 rebelles a *Turcarum* copiis dissipati fuissent, [1]) et licet Turcarum imperator Moldaviae fugitivos incolas revocare, proprias copias coërcere, communique securitati publicae diligenter invigilare jussiset: [2]) tamen, quae — breve licet — intestinum bellum crudeli manu inflixerat vulnera, nec facile nec cito cicatrice sunt obducta, neque res tam publicae quam privatae vel proximis annis in pristinum ordinem rediere. [3])

Hinc et romano-catholicae per Moldaviam ecclesiae status erat deplorandus. *Philippus Paroni*, licet in austriaco regimine et in hujus plenipotentiario *Josepho Raab* insignes nactus fuisset patronos: [4]) tamen temporum injuria, debilitatisque senio viribus, huic sanando se vidit imparem, quapropter visitatoris apostolici dignitatem 1825 renuntiavit, et *Renate*, quo se contulerat, anno 1845, animam suam creatori suo reddidit. [5])

Eodem adhuc anno 1825, quo *Paroni* dignitatem resignaverat, idque paucos post menses, scilicet 19 Julii, visitator per Moldaviam apostolicus creatus est:

2. Bonaventura Zabberoni, Helenopoleos in partibus infidelium episcopus, sancti Francisci fratrum minorum conventualium ordinis religiosus, qui tamen vix unius anni peracto spatio, die 30 Julii 1826, Jassiis, morbo correptus, obiit. [6])

Hoc brevi tempore, quum ea, qiubus dioeceseos fidelibus opus

---

[1]) Cf. »Spectator austriacus« i. e. »Oesterreichischer Beobachter« de dato 5 Sept. 1821 et *Kodrescu* l. c. VI. p. 42.

[2]) Francofortensis monitor de dato 25 Novembris 1821.

[3]) Parum juvabat, Graecos a rusticis captos et proximo, vel cuicunque demum magistratui traditos fuisse. Latrones inquietam, insecuramque reddiderant provinciam, delatores insontium deferrebant nomina etc. etc.

[4]) Cf. *Melchisedek*: »Papismul etc. p. 50. sq. ubi, non absque summi pontificis et Austriae despectu, litterae producuntur, quae de *Paronii* receptione, illique concedendo libero muneris exercitio, principem inter et portam ottomanicam, principem inter et austriacum plenipotentiarie agentem, principem inter et metropolitam ritus graeci nonunitorum et consiliarios terrae fuerant transscriptae. Nos illas non adduximus, et hic solum in nota mentionem illarum facimus, ne deliberatae reticentiae arguamur. Taedet enim semper tritam illam de Sigismundo Bathory, Transsylvaniae *rege*, de *Rezvan* et sic porro in trivio collectam refundere adversariorum narrationem et deductionem, quae nihil aliud sibi vult, quam, negando catholicis quaelibet jura, illosque libero fidei exercitio privando, potestatem illimitatam adipisci. Non de rebus divinis agi videbatur, sed de rebus mundanis, quas perperam periclitatas arbitrabantur metropolita, praesulesque ritus non uniti, hoc modo *facili*, seu potius *nullo labore* gregem et reditus augere cupientes.

[5]) *Prospectus* etc. p. 10.

[6]) *Ibid.* p. 11. *Melchisedek* l. c. p. 69 dicit, eum tres menses tantum in Moldavia vixisse.

esset, ne cognoscere quidem, et eo minus providere cunctis potuisset, nihil de gestis ejus proferri posse, mirum non videbitur.

Nescitur etiam, utrum *Zabberoni* principis terrae, *Sandali Sturdzae* provocaverit edictum de dato: Jassiis 13 Februarii 1826,[1]) vel ad illud quoquomodo contulerit, quo *Judaeis* cereorum, ecclesiasticum in usum destinatorum fabricatio vel ideo maxime fuit prohibita, quia cereis diversas, viliores materias eo fine solebant immiscere, quo, gravioris ponderis et minoris interni valoris merces, majori pretio venumdentur.

Illius autem praematurae mortis inopinatum nuntium quum Romae perlatum fuisset, sacra de propaganda fide congregatio, temporis circumstantiarum habens rationem, consilium cepit, per aliquot annorum intervallum non episcopalis dignitatis visitatorem apostolicum, sed, ut baccoviensi sede vacante, prius jam antiqui moris fuerat, hominum rerumque peritos eligendi viros, qui

Missioni praefecti

essent. Sic factum est, ut romano-catholica Moldaviae dioecesis ad annum usque 1838 episcopalis dignitatis animarum pastore careret, cujus vices per hoc duodecim annorum spatium tres sancti Francisci minorum fratrum conventualium ordinis religiosi, qua missioni praefecti supplebant. Pater scilicet *Innocentius Pamfili*, pater *Placidus Angeloni*, tertiusque *Carolus Magni*, qui postmodum ordinis sui minister generalis, dignitatis hujus centesimus, electus est.

Et Moldavorum prudenti hac sacrae congregationis dispositione defervuerunt excandentes animi, rei tamen catholicae non in emolumentum. Nam adhuc 25 Augusti 1826 terrae status et ordines principem solemniter interpellarunt, ne romano-catholicam ecclesiam, cujus asseclae quatuordecim millium animarum in terra repraesentabant numerum, quoquomodo juvet.[2])

Frustra tamen quaereres, quo temporis momento praefectorum quilibet munus impositum susceperit, deposueritque.[3]) Solum id unum constat, eos et ordine superius adducto sese missionis in regimine sequutos fuisse et promovendae divinae gloriae zelo non quotidianum in modum flagrasse.

Patet hoc vel ex ipsis eorum hoc duodecim annorum decursu rebus gestis.

Ut enim temporalium curam, qua primo statim suae praefec-

---

[1]) Graeci quoque non uniti ritus ecclesiae hoc tangebantur decreto. Cf. *Kodrescu* l. c. V. p. 32—33.

[2]) Cf. *Melchisedek*: »Papismul etc. p. 69 sq.

[3]) Patrem *Pamfili* caeterum adhuc anno 1831 missioni praefuisse, Jassiis in missionis archivo deposita testantur acta, sed jam 24 Aprilis ejusdem anni patrem *Placidum Angeloni* nominant, quin comperta sint mutationis hujus tempus et causa.

turae tempore pater *Pamfili* rei domesticae consulebat, alto silentio tegamus, [1]) reticere non possumus, illum Jassiis, quum anno 1827 conflagrasset, [2]) aedibus sacris mox e favilla tollendis, non minorem operam navasse, [3]) quam compescendis, quas graeci ritus orientalis episcopi seducendorum fidelium animarum causa moliebantur, violentis machinationibus. Nam 1828, quum sparsus in populum rumor *Sophronium Mikleskul*, Huschiensem episcopum in pago suo »*Corni*« dicto, catholicos conjuges non solum ad ecclesiae suae dogmata petraxisse, verum etiam rebaptizasse, veritati niti comperiretur, statim Moscovitarum in terrae principis aula degentem plenipotentiarium, qui simul et austriacorum in terram advenarum patronum agebat, intercessionem libello supplici petiit, enixisque precibus suis effecit, ut *Benjamino*, graeci ritus orientalis fidelium metropolitae, principis mandatum sit transmissum, ut Huschiensem et alios spirituali suae jurisdictioni subjectos episcopos perstringat, severeque moneat, ne postmodum similia, gravi sub poena tentare praesumant.[4])

Hoc in negotio missioni praefectum plurimum juvabat, non solum Valachiae, Moldaviaeque principatum eodem anno 1828 — longius ad tempus — a *Moscovitarum* copiis occupatos, verum etiam pactis *Rossiam* inter et *Turciam* foederibus et aliis transactionibus persaepe jam stabilitum fuisse, ne romano-catholicae fidei confessores gravaminis vel detrimenti quid patiantur. [5]) Accedebat insuper, missos in Moldaviam imperatoris Rossiae campiductores, et civilibus officiis majoris momenti fungentes viros, rei romano-catholicae praepotenti brachio suo nunquam defuisse. Non est itaque cur miremur, nomina *Pahlen*, *Minciaki*, *Mirkowicz*, *Kisielew* et alia missionis in actis, veluti nimbo quodam circumdata, singulari patrum praefectorum gratitudinis affectu pluries celebrari. [6])

Pacatiora quae modo sequuta sunt tempora, quum publicam salutem in tuto collocarent, privataeque consulerent, nonnullorum pagorum incolas in satis magnis ac opulentibus — quoad illorum conditionem — collocarunt rebus. Horum animus, in salutis semi-

---

[1]) Diplomate de dato: »Jassiis 1 Maji 1827« exorta inter illegitimos appetitores et missioni praefectum de *sylva Wojnesti* causa ex ultimi sententia dirimitur. Orig. chart. fol. ling. rum. sigill. minio appress. in archivo missionis Jassiis.

[2]) Hoc maximam urbis partem, et hanc inter ecclesiam rom. cath. et Jassiensium missionariorum monasterium, »aestatis tempore« consumens incendium, plura testantur publica documenta.

[3]) Traditio domestica fratrum minorum conventualium jassiensium.

[4]) Cf. *Melchisedek*: »Chronicon Huschiense.« Bucurest. 1869. 8. rum. p. 428. Quum Rossiae plenipotentiarius, simul et austriacorum advenarum tutelam suscepisse dicatur, »apostatae« seu *graeci ritus orientalis conversi*, certo certius austriaco regimini, catholicae nimirum fidei per Moldaviam tutori, subjecti fuere.

[5]) Cf. *Hammer* notissimum de osman. imper. rebus gestis opus ad ann.

[6]) Huc multa patrum praefectorum litterarum exempla sunt referenda, quae jassiense servat missionis archivum; e. g. de dato 8 Aprilis 1729; 8 Februarii 1831; 24 Aprilis 1831 et sic porro.

tam cereus flecti, dum patris *Caroli Magni* pietate, flagrantissimisque verbis ad bonorum omnium exuberantem dirigitur scaturiginem, ecclesiarum, vel saltem sacellorum, e duro lapide struendorum coepit consilium. Itaque pagorum et urbium, quae ditiores essent, operi sese proposito statim accingunt, vel saltem certam pecuniae summam conferunt, et eo fine foenore locant, ut illae pecuniae quotannis increscentes, gratuitis insuper auctae donis, conceptis tandem satis fieri permittant votis. Hac ratione *Fokschanum* 1836 sacellum, *Botuschanum* autem 1837 templum struxerunt, et quae postmodum struebantur ecclesiae, inde primam suam traxerunt originem. [1])

Sic apostolico, dignitatis episcopalis visitatore carente, romano-catholica per Moldaviam missio praesertim patris *Caroli Magni* sub auspiciis indies nova majoraque ceperat incrementa, brevique rerum status adeo florens et in tuto positus visus est, ut non solum fidelium animis, verum etiam sacrae de propaganda fide congregationis maturo consilio saepius explorata spes esset injecta, novo majorique dignitatis potestate praedito dioeceseos praesule creato, tam animarum omnium saluti, quam ipsius romano-catholicae ecclesiae finium dilatationi consuli posse. Non dubitabat itaque sacra de propaganda fide congregatio sanctissimo patri novi visitatoris apostolici nominationem quam enixissime commendare. Nec incassum. Sanctissimus etenim pater adductis gravibus rationibus devictus

Ulteriores visitatores

nominandi voluntatem et propositum, non denegato congregationis petitioni consensu, testatus est, dum ab illo

III. Petrus Raphael Ardoini, fratrum sancti Francisci minorum conventualium ordinis, apostolico brevi de dato: »Romae 28 Septembris 1838,« *Carrensis* [2]) partium infidelium episcopus, et apostolicus per Moldaviam visitator creatur. [3])

Oriundus e regni *Sardiniae* civitate, cui *Alghieri* nomen, religiosorum Jassiis habitantium, gravioris aetatis virorum testimonio perhibente, florente adhuc juventa, spretis hujus mundi illecebris, sancti Francisci fratrum minorum conventualium sodalis factus, vitae sanctimonia, litterarum peritia, sermonisque non svavitate solum sed et gravitate, mox omnium oculos tantopere capiebat et in se convertebat, ut omnes eum, communi consensu, majoribus ecclesiasticis muneribus obeundis destimatum arbitrarentur. Staturae dicitur procerae fuisse, faciei fuscae quidem, sed sanitatis rubore suf-

---

[1]) Ex archivo jassiensi saepius attracto.

[2]) *Carra*, locus in Arabia.

[3]) *Wasniewski* l. c. quin tamen errorem quoad Ardoinii nominationem superius commissum correxisset, cujus illi nec in mentem venisse videtur ulla recordatio.

fusae, condecorataeque barba promissa nigra, toto denique corporis habitu quandam, velut innatam sibi dignitatem spirans.

Multum ille, seduloque laborabat, qui praecedentium praefectorum in missionis administratione cura meliorem ad statum redactam dioecesim et conservaret in illo, et indies illum augeret.

Hoc inter studium, olim baccoviensis episcopalis seu cathedralis ecclesiae restaurandae cura prae caeteris illi cordi fuisse videtur. Haec temporis injuria collapsa, non solum tristissimam omnium rerum caducitatis praebebat imaginem, sed amaro quodam dolore corda replebat, ecclesiam episcopi quondam primariam, in ruinis esse positam, et fideles non habere devotionis locum in eo loco, quem quotidiana praesulis quondam decorabat praesentia. Licet itaque *Caroli Magni* solertia conflari coeptae pecuniae nequaquam operi perficiendo sufficerent; tamen — 1839 — summo cordium rectori Deo, singulari fidelium pietati, suaeque monentis persuasionis vi confisus, protinus fabricam, fundamentis antiquis ecclesiam superstruens novam, inchoare statuit. [1]) Emporium autem Danubii celebre, *Galatz*, licet fidelium animarum numero haud magno gauderet, apostolici visitatoris crebris admonitionibus permotum, prius jam superbi templi fundamenta jecerat, quod anno sequenti — 1840 — feliciter sub tecta perductum, anno 1841 consecratur. [2])

Brevi tamen, summo cunctorum dolore, moldavicis, quas adamaverat, ereptus est oris. Vergente nimirum anno 1842, nativam in urbem a sanctissimo patre translatus, [3]) anni sequentis initio dioecesi valedixit. Illum sequutus est.

IV. Paulus Sardi, fratrum sancti Francisci minorum conventualium religiosus, qui 2 Aprilis 1843 *Verensis* [4]) partium infidelium episcopus et visitator per Moldaviam apostolicus creatus, [5]) mox omnium bonorum consentientem laudem et amorem sibi conciliavit. *Augusta praetoria* nativitatis illi fuit locus et angustae parentum res domesticae. Verum his et illi non minori fuit decori, quam romano-catholicae per Moldaviam ecclesiae incremento. Sub illius etenim, ut contestatum est, vere paterno regimine, veluti novus quidam fidelium animos pietatis occupavit ardor, cujus insigni testimonio *Fokschanum* erat et alia loca, dum anno 1846 superstruendis ecclesiis lapidem ponerent angularem. [6])

Huic sacrarum aedium invigilare cupiens fabricae, simulque, quum sacerdotum defectui proprii ordinis religiosi membris accersi-

---

[1]) Ex actis missionis archivi, Jassiis.

[2]) *Ibid.*

[3]) Patris *Amantini* sequimur MS. Ideoque miramur hujus apostolici visitatoris translationem in *Prospecta* simpliciter ad finem anni 1843 poni.

[4]) Alias »*Phraata.*« seu »*Praaspa*« in Media.

[5]) Patris *Amantini* MS.

[6]) Missionis archivum Jassiis.

tis providisset, et ideo desiderans et alibi locorum simile studium aedificandarum ecclesiarum excitare, propriae non parcens valetudini, creberrimas dioeceseos visitationes instituebat, quarum ex ultima, 14 Octobris 1848 domum reversus, in morbum incidit, qui post undecim dies, 27 die mensis Octobris ejusdem anni, finem illius vitae imposuit. [1])

Multum deplorato et veluti repentina morte sublato praesule, rumor in vulgus percrebrescebat, eum venenato quodam toxico, clam porrecto, naturae debitum persolvisse. [2]) Post annum.

V. Antonius de Stefano fratrum minorum provinciae neapolitanae religiosus, qui 28 die mensis Augusti 1848 visitatoris apostolici ad dignitatem evectus, ab *Angelo Parsi*, pro tunc episcopo bucurestino, seu Valachiae transalpinae, die 30 Octobris 1849, *bendensis*, partium infidelium, episcopus consecratus est.[3]) Ante adeptam hanc dignitatem missionarii per Moldaviam per aliquot annos insudabat laboribus, uberesque zeli, quo sese animarum curae devoverat, assequutus erat fructus, qui communem omnium illi conciliarunt aestimationem et venerationem tantam, ut dignus arbitraretur, majoribus officiis in missione fungi.

Irrequietis ille petitionibus non mediocres pecuniarum congregavit summas, ecclesiam in *Husch* aedificavit. et aliis aedibus sacris de necessaria suppellectile providit. Hunc in finem obtenta praepositorum, tam ecclesiasticorum quam saecularium auctoritate, per universam Europam pia colligebat dona, quibus large fluentibus, aliis quoque missionis per Moldaviam romano-catholicae necessitatibus providit [4])

Quantam pius, doctus et comis apud caeteros quoque proceres aestimationem merito sibi conciliaverit, non solum mitra docuit episcopalis, ab itala principe quadam, venerationis in tesseram transmissa, verum annus inprimis 1854, quo Moldaviae, Valachiaeque principatus, *orientalis* ita dicti. *Rossiam* inter et *Turciam* exorti belli tempore, magnis austriacis copiis, ex *Hungaria, Transsylvaniaque*, danubianas has in terras intrantibus, occupati fuere. [5]) Mox etenim hujus maximam ad partem e catholico milite conflati exercitus plurimi diversissimis, gravibus et lethiferis morbis correpti, ad suave fidei suae solatium anhelare coeperunt, quod ut omnibus impertiatur, campester, singulis legionibus adjunctus capellanus vires suas excedere videbat. Tunc visitator apostolicus, episcopus, exercitus ducem

[1]) MS. patris *Amantini*.

[2]) Hodiedum non exstincta sententia.

[3]) *Wasniewski* l. c. p. 279, patris *Amanitni* sequutus M. S.

[4]) Haec A. R. P. piae memoriae *Stephanus Bodnarescul*, sacrae Theologiae doctor et ministro provinciali fratrum sancti Francisci minorum conventualium Galiciae datus a secretis, et alii mihi perscripserunt.

[5]) Cf. Supremi campiductoris *Hess* ad Moldaviae populum proclamationem, de dato: »Jassiis 18 Augusti 1854,« quam legere licet in *Kodrescu* l. c. VI. p. 79.

supremum adiit, suam, et missionariorum, sacerdotum suorum ultra deferens opem, quam non ipse solum, verum et illi, sub sanctissimo mundi salvatoris vexillo militantes, et omnibus omnia fieri parati, contagionis, vel ipsius quoque mortis periculum metuere vel evitare, non dedecori, sed crimini sibi ducebant.

Hoc patrum missionariorum ordinis sancti Francisci charitatis ministerio perlibenter accepto, publicis in urbium militaribus nosocomiis, et in villarum privatis domibus, non ut alieno, morbi doloribus laboranti militi, sed veluti patienti fratri, propter Christum dilecto, viros vidisses inservire, qui, boni pastoris ad exemplum, verbo suo non animae solummodo salubrem ferrent medicinam, sed commiseratione quoque sincera pusillanimorum civium etiam corda solarentur et erigerent.

Cunctorum in hoc vere samaritano ministerio merita non remuneraturus, verum agniturus Austriae Caesar illustrissimus, visitatori per Moldaviam apostolico magno pretio habitum coronae ferreae — nobilitans — contulit insigne, quod mox alterum, *sanctissimi* scilicet *sepulchri canonicorum* est sequutum. Vicarius autem visitatoris apostolici generalis, pater *Joannes Eugenius Zopolski*, parochus insimul Jassiis, vir ob animi dotes et ob vocationis suae manifestum amorem acceptissimus, ordinis Francisci Josephi sibi collatum vidit insigne. [1])

Attamen haec amplissimi honoris monumenta, fidelium amor, quem sibi praeclare gestis conciliaverat, et communis omnium veneratio nequaquam impediebant, quominus episcopus et visitator apostolicus, *de Stephano*, muneri suo 1859 renuntiaverit, quam resignationem omnes boni dolebant. Nam et typis in publicum editis operibus[2]) allaboraverat, ut fidelium spiritualibus necessitatibus obviaretur.

---

[1]) Ut nota 4. praeced. pag.

[2]) Edidit: »Explicationes evangeliorum in singulas anni dominicas, lingua rumuna, Jassiis 1858. 8 et Catechismum catholicum Leopoli (ni fallor) 1859. 8 »Catechismus« hic, vere vulgaris, hodiedum fidelium in manibus versatur, et illius, qua talis, origo prima sequens est. P. *Vitus Piluccius*, Italus, vignanensis, de quo superius loquuti sumus, populi linguae probe gnarus quum fuisset, ac per plures annos animarum fructu maximo missionarium per Moldaviam egisset, superiorum suorum jussu Romam tandem reversus, ut fidelium in Moldavia notis sibi necessitatibus provideatur, patris *Bellarmini*, sacrae romanae ecclesiae cardinalis et »e societate Jesu« *) sacerdotis cathechismum, strictiorem in formam redactum, in linguam sic dictam valachicam, seu rumunam ut hodie placet, transtulit. Libellus duas paginas habens non signatas et 32 signatas in 8° min. rarissimus hodie, cujus unicum forte jam exemplar berolinensis possidet bibliotheca. Sacrae de propaganda fide sumptibus anno 1676 publicam in lucem, et quidem Romae prodiit. Et quum Pilucci latinis, et non cyrillicis ut plerum-

---

*) Cardinalem *Bellarminum* Jesuitam fuisse, notum. Hujus ordinis membra, consuetorum trium votorum simplicium »*Societatis Jesu*« dicuntur. Haec vota publice profitentes, addito *quarto*, coecae obedientiae ad summi pontificis jussa, »Professi« vel »*e Societate Jesu*« vocantur.

Resignationis illius causae genunae sunt quidem ignotae, videntur tamen in litteris encyclicis latere, quas pater *Josephus Tomassi*, quum visitatoris apostolici munus aggrederetur, publicavit.

Nam, quum Romae visitatoris apostolici renuntiatio innotuisset, sacra de propaganda fide congregatio patri *Josepho Tomassi* dedit in mandatis, ut dioeceseos totiusque missionis curam habeat, ipsumque visitatorem apostolicum, summo pontifice sic disponente, ad interim creavit, et quum *Constantinopoli* moraretur, Romam accersivit. [1])

Pater Josephus Tomassi, exminister provincialis fratrum sancti Francisci minorum conventualium provinciae romanae, constantinopolitanaeque missioni hactenus apostolicae praefectus, commissum sibi munus encyclica, cui datum »Ex nostra residentia Jassiensi, hac die 28 Maji 8 Junii 1859 suscepit, qua severioribus verbis privatarum rerum cupidos subjectorum sibi sacerdotum animos perstringit, et haud laudandam missionis quoque revelat imaginem. [2])

Res omnes infracta mente, fortique manu peroptatum in ordinem redigens pater *Tomassi*, simul et illi vestis regularis fratrum sancti Francisci minorum abusui ducebat obviandum esse, cujus adjuncti missioni saeculares sese reos faciebant, qui nulla sacrae de propaganda fide congregationis licentia desuper impetrata, vestem hanc certo certius ea solummodo mente gestare praesum-

---

que fit, usus sit litteris, opusculum illius vel ad ipsius linguae historiam — orthographiae respectu — specialem sibi vindicat locum. Temporis in decursu pluries licet, novisque semper correctionibus et augmentis, cyrillicis insuper litteris editus, tandem ab episcopo de *Stephano* composito locum cessit, quum illius et lingua et orthographia factae fuissent diversae. *De Stephano* tamen in pertractandis dogmatum capitibus, illarum quoque sententiarum rationem habendam esse duxit, quibus inter graeci ritus orientalis asseclas justo majus adtribuebatur pondus, quam ut id romano-catholicos, variis expositos impetitionibus, diutius latere proficuum videretur.

[1]) Ex actis missionis in archivo Jassiis.

[2]) Exemplar cartae impressum, in archivo Jassiis. Inter alia legimus: »Munus superioris in hac nostra Moldaviae missione obeundum Nobis, licet invitis, ab eadem sacra Congregatione creditum fuit, quod ferme *non erat optandum. Optandum non erat a nobis,* qui de praefectura apostolica missionis Constantinopolitanae in *hanc* Moldaviam translati, *in deteriorem acti sumus conditionem.* Optandum non erat a vobis, *vel saltem a nonnullis vestrum, quibus cum jam qua visitator generalis displicuerimus, multo magis qua visitator et superior missionis debebimus forsan displicere* . . . . Primum venimus, ut vos vestraque tantum cognosceremus, *et valde a nonnullis fuimus contristati,* in multa patientia *contumelias multas* perferentes . . . . Omnes parati ad *quidquid humanum sapit,* sacrificandum, omnes una satagamus, ut *supremum missionis bonum principem* sibi, uti fas est, *in omnibus vindicet locum* ; illud habentes alta mente repositum, ad prosperitatem scilicet societatis cujuscunque, *publicam rem privato uniuscujusque commodo praeferri semper debere* . . . . Decernimus I° : Omnes et singulas facultates, quae dispensationes quascunque . . . respiciunt, vicariis districtualibus (i. e. decanis) hactenus concessae, *tamquam ad nos revocatae penitus habeantur* . . II° : Nullus e parochis *quocunque praetextu Jassium accedat,* quin prius *veniam a Nobis* per litteras obtinuerit« etc. etc.

pserant, ne simplex incultorum fidelium animus regulares inter et saeculares animarum suarum pastores discrimen aliquod cum fidei detrimento statuat. Itaque vestem religiosam sacerdotibus saecularibus prohibuit quidem ad interim, sed causae gravi momento permotus, quo vestis hujus abusus fuerat provocatus, apud sacram de propaganda fide congregationem suapte suam interposuit intercessionem, ut saecularibus quoque sacerdotibus, quoadusque catholicae per Moldiviam missionis rebus promovendis operam navarent, promissa tertiarii titulo affilatione, hanc sancti Francisci fratrum minorum conventualium religiosam vestem gestare liceat, [1]) »ut« — illius sunt verba — »in externa quoque membrorum suorum specie manifestum fiat, missionem diversissimarum quidem nationum et linguarum viris utentem, ut animi sententia, sic veste quoque corpus in unum coaluisse.« [2])

Foltitschenum interim 1861 modernam suam ecclesiam aedificare coeperat, et *Joannes Eugenius Zapolski*, parochus Jassiis, qui quondam episcopo *De Stefano* datus fuerat a secretis, piis fidelium adjutus donis, jassiensem sacram aedem restauravit, et dilatavit, quae dilatata licet, angusta quidem, sed speciem praeseferens pulcherrimam, dum variis, uno solum adytu relicto, cingatur adificiis, absconditae non dissimilis est praeciosae margarittae, cujus inopinatus aspectus oculos animumque demulcet.

Caeterum *Tomassi* missionis in regimine post quadriennium novo cessit apostolico visitatori. Summus etenim pontifex Pius edixit, ut hoc in se suscipiat officium:

VI Josephus Salandari, fratrum sancti Francisci minorum conventualium religiosus, qui natus in *Loreto*, puer adhuc, patris voto assisiensi traditus monasterio, vitae religiosae, literisque sedulam navabat operam, et philosophiae, liberarumque artium ac sacrae theologiae doctor factus, in collegio romano publicum et ordinarium matheseos professorem agebat. Tandem constantinopolitano praepositus conventui, marcionopolitanus, [3]) partium infidelium creatur episcopus — mense Martio 1864 — simulque Moldaviae visitator apostolicus designatur.

Quum quinque calleret linguas, quas inter valachicam seu

---

[1]) Exemplar hac in materia porrecti supplicis libelli, pagina fracta scriptum, in missionis archivo, Jassiis.

[2]) Veritatis amantes et sequentes illud Ciceronis: »Historicus ne quid falsi dicere audeat, et ne quid veri dicere non audeat« haec omnia adtullimus, licet non sint laudanda, sed silentio potius tegenda, quum adversariis inservire possint. Sed perfecti nihil sub sole, qui vel ipse quoque, quam rutilus sit, maculas habet.

[3]) Nonnulli putant hic toties nominatam *Marcianopolim* urbem »*Preslaviam*« seu »*Prebislaviam*« esse, ad pontum euxinum, in *Moesia inferiori* sitam. Nonnullorum sententia »*Marciopotitanus*« in *Asia minori*, (pariter partium infidelium) fuit episcopatus.

rumunam, gallicam et italicam, nihil obstabat, quominus agens cum multilingui terrae populo, fructus in animarum cura pulcherrimos et uberrimos colligeret.

Quo zelo demandatum sibi munus obierit, plura non minus ac praeclara testantur monumenta. Inprimis in tollendos abusus passim obortos totus incubuit, et latis legibus, summa prudentia refertis, mala, quae invaluerant, compescuit, quae bona erant, solidavit, quae in uberiorem animarum salutem facienda, decrevit. Ut vero juventuti quoque catholicae satius prospiciatur, mense Febrario 1866 moniales »de notre dame de Sion«, quas anno 1842 A. R. P. *Theodorus Ratisbonne* summi pontificis assensu *Parisiis Lutetiorum* coadunaverat, in Moldaviam accersivit. Sancti Augustini, Hipponensis in Africa episcopi, ecclesiaeque patris celeberrimi vivendi regulam sequentes, hae deo dicatae virgines, quarum in puellarum educatione merita, dum Constantinopoli versabatur, optime cognoverat et admiratus fuerat, *Jassiis* modo duas habent domos, in *Galatz* autem unam inhabitant.[1]) Publicus illas excepit applausus, et puellarum frequentia, non solum catholicae fidei dogmata sequentium, optimo ducenda documento, quam perspicaci mente *Salandari*[2]) praeviderit, qua ratione demum »ex ore lactantium et parvulorum« praeparanda sit laus domini.[3]) Gaudebat bonus pastor hac institutione nova, confidebatque majorem indies ex illa Dei gloriam, animarunque salutem promanaturam. Sed non puellarum solummodo verum et puerorum educandorum curam sibi non minus cordi esse demonstraturus, populares — ut dicunt — scholas singulis ni urbibus et pagis necessarias erexit et ludimagistris tradidit regendas, qui muneri suo non essent impares.

Ad majorem Dei cultum promovendum, cujus domus decorem dilexerat, ecclesiis ornandis animum adjecit, et jassiensem inprimis omnibus ditavit, quae conferrent ad fidelium pietatem augendam. Advocato nimirum ex Italia celebri pictore, ecclesiam pulcherrimis picturis decoravit, altaria marmorea erexit, in parietibus tabulas omni numero absolutas suspendit, quibus D. N. J. C. passio meditationi proponitur, et nullis parcens impensis, omnem adhibuit curam, ut vestibus sacerdotalibus sumptuosioribus et ceterae suppelectili sit abunde provisum. In singulos pagos quoque charitatem suam effudit, ut vix ulla missionis inveniri possit ecclesia, quae nullum ejus largitatis monumentum exhibeat. Ecclesias autem, illo visitatore, missio numerabat octoginta novem et duodecim sacella, sed universim viginti sex tantum sacerdotes, qui numerus nequaquam omnibus

---

[1]) *Melchisedek* in Papismus etc. has moniales »*jesuittas*,« seu »*muliebres jesuitas*« vocat, ut illi, quid quid catholicum, simul et jesuiticum.

[2]) *Ibidem* Salandari »*Sendarii*« nomine venit.

[3]) Haec in educationis instituta magnus puellarum, diversissimarum confessionum, confluxus ab initio fuit et hucusque non est imminutus.

fidelium adaequatus necessitatibus, causa fuit, ut non solum de erigendo seminario, in quo clerici et missionarii sacris imbuerentur disciplinis, cogitaret, sed ne fideles interim religionis muneribus priventur, hortationibus et precibus obtinuit, ut illi plures ex Italia sacerdotes in opportunum auxilium fuerint missi, quo, pacatis jam prioribus de re catholica cum terrae principis regimine dissensionibus, missio per totam provinciam florere coepit.

Interim *Bonifacius Köhne*, qui missionarii per Moldaviam apostolici munus die 1ª Novembris 1861 amplexus, [1]) et *Botuschanum* animarum in curam fuerat missus, erogatis pecuniis suam quoque parochialem ecclesiam examplare, multisque ditare coepit ornamentis, in quo pio opere plurimum ab apostolico visitatore juvabatur.

Haec dum aguntur, via ferrea, quae dum *Europam* percurrit, *balticum nigrum*que maria conjungit, *Paschkanum* 1870 attigerat, ubi, lateralibus viis dextram, sinistramque versus intentatis, magnus diversissimorum operariorum, polonae praesertim nationis, numerus confluxerat, qui, dum una maximarum stationum ibidem erigeretur, stabilem ad eam cum uxoribus et liberis posuerat sedem. Spiritualibus igitur ut necessitatibus tot hominum, aetatis et conditionis tam diversae, provideri possit, dominus *Oesterreicher*, per Moldaviam et Valachiam, vel ut ab anno 1865 conjunctae provinciae vocabantur, per Rumuniae principatum viarum ferrearum supremus director, in coloniae hujus usum tam ecclesiae quam scholae fabricam sumptuosam suscepit.

Salandari vero seminarium clericorum jam jam erecturus, fractus laboribus et diutino morbo correptus, die 29 Decembris 1873 commune mortalium naturae debitum persolvit. Omnes boni mortem illius dolebant et funus frequenti praesentia cohonestaverunt. Mortales exuviae de moldavica missione tantopere meriti pastoris in crypta jassiensis ecclesiae, sub episcopali throno, serius nobiliorem in locum transferendae, fuerunt depositae.

Eum anno sequenti *Pio IX* summo pontifice sic disponente, visitatoris subsequutus est in officio:

VII. Antonius Maria Marcus Graselli, qui die 23 mensis Julii 1874 sub episcopi Trapezopolitani [2]) nomine suam in visitatorem apostolicum evectionem omnibus missionis sacerdotibus encyclica solita communicavit. Hic ministro generali fratrum sancti Francisci minorum conventualium — sui nimirum ordinis — olim a secretis quum datus esset, hoc officio defunctus, aliquamdiu missionarii per Moldaviam suscepit munus, ac deinde delegatus fuit

---

1) »Prospectus etc.« p. 16.

2) Non »Trapezuntinus« i. e. non de Tarabozan vel Trebizonda, maritima, mercaturaque celebri in ponti euxini littore posita urbe, quam veteres ob incertos terrarum fines vel Cariae vel Phrygiae tribuebant, et quae hodie »*Karatscha-Su*« nomine venit.

in *Americam,* ibidem ordinis sui visitaturus provinciam. Hac visitatione feliciter perfecta, reversus in Europam, a superioribus missioni constantinopolitanae praeficitur et tandem — vix biennio post — cum episcopi dignitate visitatoris quoque per Moldaviam apostolici partes sibi delatas vidit.

Hic primo statim in terram adventu missionis prospectum quem jam alii praedecessores ejus publicam in lucem ediderant, typis mandavit auctum.

Ex illo comperimur, primum quam florentem episcopus *Salandari* industria sua missionem reliquerit, deinde quatuor fuisse districtus, vel ut alibi dicitur, decnatus, *jassiensem* videlicet, *serethensem, baccoviensem* et *tatrosiensem,* quorum primus sex, secundus novem, tertius septem, quartus autem quinque complectebatur parochias, ita ut parochiarum numerus accederet ad viginti septem, ad quas ducenti viginti duo pagi pertinebant, et in specie centumtres ad quinque parochias quarti districtus, quadraginta novem ad septem tertii, quadraginta quinque autem ad sex primi numerabantur; ecclesiae centum et una, quas inter sexaginta quatuor ligneae, sacella domestica tria, sacerdotes triginti novem, quos inter unus ordinis sancti Francisci tertiarius. Missionariorum rei domesticae quinque fratres laici navabant operam, et quidem duo *Jassiis,* ubi septem sacerdotes cum octavo visitatore residebant, alteri duo in *Galacz*, ubi quatuor sacerdotes degebant et unus in *Horlesti.* Monialium numerabantur septuaginta sex. *Jassiis* nimirum in una domo, cum sorore rectrice, sororum educantium seu magistrarum viginti, conversarum septemdecim; in altara vero domo sororum educationi puellarum incumbentium, cum sororum studiorumque rectrice decem, et conversarum novem. Hae sacrae Deo dicatae virgines *Jassiis* duabus suis in domibus ducentas octoginta quatuor erudiebant puellas, quarum centum nonaginta duae sororum immorabantur domibus, ad quas orphanas undeviginti, gratis alitas, adnumeremus oportet. Domi suae, parentum vel cognatorum sub tutela degebant, externarumque nomine monialium scholas frequentabant septuaginta septem. Domus monialium *galatzensis* sexaginta sex internas, tres gratis receptas orphanas, et sexaginta novem externas instruebat puellas. Universim itaque quadringentae viginti duae scholarum beneficii participes factae sunt puellae, quae non solum romano-catholicorum, sed cujusvis confessionis parentum proles erant. Animarum autem fidelium computabantur quinquaginta octo millia, octingenti novem, quibus octo linguis, gallica nimirum, germanica, hungarica, illyrica, italica, polonica, ruthena, rumunaque, Dei verbum ad capessendam salutis semitam praedicabatur.[1]) Probe tamen sciendum est, hoc in fidelium animarum numero non tantum romano-catholicos subsumi posse. Temporis enim

---

[1]) »Prospectus etc.« p. 12 ad 29.

successu factum est, ut catholici graeci ritus uniti, sicut et Armeni, non alium quam romano-catholicum agnoscerent episcopum, in visitatoris apostolici notissima cunctis persona. Et suum genuinum inter et romano-catholicum cultum nullum ab illis discrimen statuebatur.

Pulchra sane salutiferorum laborum subjicitur imago, licet privilegiorum illorum rationem non habituris, quibus apostolica sedes sancti Francisci fratres minores conventuales, in missionibus degentes, olim ditare non est gravata, quae tamen successu temporis, et missionis rebus consolidatis, maximam ad partem ad episcopos, apostolicos scilicet visitatores, fuerunt tranlata.

Non diu vero *Grasselli* moldavicam moderabatur missionem. Ut enim publicarum orientis rerum erat peritissimus, et experientia sua ad agendum in illis jam a priori aptissimus, 29 die mensis Decembris ejusdem anni 1874, post quinque scilicet menses a suscepto missionis moderamine, *colossensis* archiepiscopi titulo, sacrae apostolicae sedis legatus *Constantinopolim* transfertur, ubi simul et vicarii patriarchalis vices obiret. Moldavicae missionis sacerdotibus encyclica sua de dato: »Constantinopoli die 17 Januarii 1875 valedixit.[1])

Illum sequutus est:

VIII. Ludovicus Marangoni, sancti Francisci fratrum minorum ordinis religiosus et minister quondam generalis, eodem fere momento nominatus, quo *Graselli* legatus et patriarchalis vicarius constantinapolitani patriarchatus creatur, ut ipse publicis in litteris de dato: »Patavii 30 Januarii 1875,[2]) quibus nominationem suam catholicis Moldaviae sacerdotibus notificat, loquitur.

Gortynensis[3]) in partibus infidelium episcopi dignitatem adeptus, initio mensis Aprilis 1875 Jassios venit, ubi litteris de dato: »Jassiis 4 Aprilis 1875 collaborantes in vinea domini salutavit,[4]) mensis autem ejusdem die 24, jubilaei per totum annum 1875 duraturi et 24 Decembris 1874 a sanctissimo patre *Pio IX* »urbi et orbi« benignissime concessi, obeundi rationem promulgavit.[5])

In munere suo perfungendo sedulissimum se manifestavit, pietate, prudentia et sollicitudine magnam sibi parabat auctoritatem; ecclesiasticae disciplinae semper et ubique ad unguem observandae memor non solum sed cunctis ad idem allectis erat exemplo. Brevi tamen, tribus etenim annis vix expletis, in Italiam se contulit,

[1]) Valedictionis litterarum exemplar typographum servatur in missionis archivo Jassiis.

[2]) Similiter in eodem archivo. *Graselli* postmodum in sacrae de prop. fide instituto praefectum agebat et eidem sacrae congregationi datus erat a secretis.

[3]) *Gortyna* vel *Gortynae* majorum insulae *cretensis* urbium una, cujus hodiedum vastae supersunt ruinae.

[4]) Exemplar typographum in archivo jassiensi.

[5]) *Item.*

ubi episcopalem *Fossae Clodiae* sedem sibi collatam occupavit et ejus in locum sucessit:

IX Fidelis Dehm, qui antea missionarius in *America* fuerat.

Plures ephemirides electionem ejus modo sequenti nuntiarunt. »In consistorio 31 Decembris 1877 celebrato, nominalus est episcopus *colophonensis* [1]) in partibus infidelium, [2]) et visitator apostolicus missionis moldavicae, pater *Fidelis Dehm,* fratrum minorum conventualium ordinis, qui, 13 Maji 1825 in *Rechtensweiler*, ducatus olim *Hohenzollern Sigmaringen*, natus, in *Oggersheim*, in urbe bavarici *Palatinatus Rheni,* religiosae vitae nomen dederat. Per triennium, ab anno 1854 ad 1857 superiorem et parochum in *Ravensgiersburg*, districtus *Simmern*, agebat, deinde, videlicet ab anno 1864 ad 1866 guardianum *Linzii ad Rhenum*, postquam ab anno 1857 ad 1864 per *Prussiam*, *Bavariam*, *Helvetiam*, *Belgiam* et *Hollandiam* praepositi provincialis munere summa cum laude functus fuerat. Ordinis sui commissarius generalis per septemptrionalem *Americae* partem creatus, per undecim annos *syracusanam* ibidem regebat ecclesiam, quae non sine luctu pastori valedicet, profunda doctrina, variarum peritia linguarum, affabilitate non solita, zeloque promovendae Dei gloriae summopere conspicuo, quae dotes cunctae, specialiaque merita virum hunc non quotidianum sanctissimo patri commendabant.«

Sic ephemerides de veniente loquebantur

Encyclica de dato 29 Aprilis, (10 Maji) 1878 quum ad animarum in missione ministerium secum vocatos consalutasset, [3]) officio noviter sibi imposito non solum solita sibi promptitudine verum et sedulitate satisfacturus, ecclesias visitare coepit et confirmationis ministrare sacramentum. Hac occasione 1 Septembris 1878 dilatatam et adornatam a patre *Bonifacio Köhne* botuschanensem consecravit ecclesiam. Cognita similiter sacrarum aedium summa quoad sacram supellectilem paupertate, suam, qua in *Germania* praepollebat, auctoritatem interposuit, et non solum pecuniarium subsidium, verum etiam ecclesiasticorum paramentorum tres efflagitavit cistas, quibus multarum ecclesiarum necessitatibus providit. Interim et *paschkanensis* ecclesia sub tectum feliciter fuerat perducta, quam 1879 Deo dicavit, praesente hujus templi fundatore, domino *Oesterreicher,* cui sanctissimus pater ordinis militensis insigne contulerat.

---

[1]) Rectius fuisset: »Visitator nominatur 31 Decembris 1877 et brevi de dato: Romae 15 Januarii 1878 colophonensis episcopus.

[2]) *Colophon*, una duodecim urbium Joniae, non solum maritima potentia sua, dupplicique portu, sed et equitatus sui militari virtute, qua pugnas dirimebat, inclaruit, unde proverbium: »colophonem rei imponere« i. e. ad finem perducere.

[3]) Ut nota 3, pagina praecedenti.

Anno sequenti variis incolarum gentis hungaricae necessitatibus consulturus, cum *archiepiscopo colocensi* sanctaeque romanae ecclesiae cardinali, eminentissimo domino *Ludovico Haynald*, summi per totam Hungariam — qua late patet — nominis viro transigebat, qua potissimum ratione hisce necessitatibus ad fidelium inexhaustam utilitatem mederi possit. Hunc in finem eminentissimus praesul colocensis suffraganeum suum, episcopum *tinniniensem*, [1]) *Michaelem Kubynski* Jassios delegavit, qui, quibus opus esset, et quae fieri possent, cognita locorum hominumque natura, suaderet. Illum itaque dicti eminentissimi cardinalis et meritissimi archiepiscopi nuntium mense Julio 1880 Jassiis honorifice susceptum fuisse scimus, non autem quae, quove fructu sint tractata. Brevi namque post visitator apostolicus, qui scholis quoque levandis animum adjecerat et missionis ministerio sese devoventes non mediocribus sumptibus *Oeniponti*, *Chersone*que necessariis instrui litteris curavit, officium resignavit.

Causae publicum latent quidem, sed antequam sedes apostolica resignationem hanc — 11 Septembris 1880 factam — approbaverit et de vicariatu providerit, fideles demonstrarunt, quanto visitator apostolicus apud cunctos fuerit pretio. Quotquot etenim sic dictorum »Austriacorum« cujuscunque demum nationis et confessionis in Moldavia degebant, communi voto deputationem elegerunt, quae Austriae imperatorem in Bucovinae capitali submissione homagiali salutaret. Unanimiter episcopum *Dehm* ducem et praeconem sibi communi voto sumpserunt. Nullus eorum suae nationi quidquam detractum arbitrabatur, eum non Italum, non Hungarum, non Polonum, non Ruthenum vel cujuscunque alterius inter illos repraesentatae gentis sed *Germanum* esse. Virum aestimabant et venerabantur, non progeniem. Impèrator, non terrarum solum haereditariarum, sed et cordium subditorum suorum dominus, quum eum mensae suae adscivisset, de missionis eum statu diligenter est percontatus, dolens, galatzensibus germanicos sacerdotes, quos a caesareo plenipotentiario, quum non sit qui nativa illorum lingua spiritualibus illorum necessitatibus provideat, petierant idonearum i. e. multilingium personarum ob defectum subministrari non posse.

Quum sanctae sedis apostolicae consensus in visitatoris apostolici resignationem Jassios pervenisset, hic ulteriorem sanctissimi patris dispositionem expectaturus, in affiliationis suae monasterio *oggerscheimensi* domicilium suum figere statuit, et majorum informationem sequutus, missionis interimale regimen in parochi Jassiensis et a secretis hucusque sibi dati patris *Eugenii Zapolski* manus deposuit.

Brevi post mortis illius triste nuntium advenit. Diceres, hanc eum praesaga mente vidisse proximam, et ad eam sese compositurum in patrio conventu pacatum refugium quaesiisse.

---

[1]) Locus olim in *Britannia barbara.*

Post illum visitatoris apostolici munus est adeptus:

X. Nicolaus Josephus Camilli, fratrum sancti Francisci minorum conventualium ordinis, qui 1840 in *Monterubbiano*, sic dictis in »Marcis« natus, anno 1873 moldavicae missioni nomen dederat, et — licet invitus — 16 Septembris 1881 visitator per Moldaviam apostolicus nominatus, 18 Novembris ejusdem anni *mosynopolitanus* partium infidelium episcopus est proclamatus.[1])

Quum 4 Decembris, anniversaria suae in presbyterum ordinationis die, consecrationem in basilica ss. duodecim apostolorum, per manus sacrae romanae ecclesiae cardinalis et archiepiscopi tolosani, *Juliani Desprez* accepisset, eadem die pastorales ad patres missionarios exaravit litteras,[2]) ac tandem 25 Martii 1882 Moldaviam intravit.[3])

Ante suum adventum, *Salandarii* praedecessoris sui memoriam cohonestaturus et satisfacturus cunctorum votis, ut hujus viri sepulturae locus monumento posteris innotescat, marmorem cum epitaphio procurari, locoque suo jussit erigi.[4])

Interim coadunatus hactenus Moldaviae Valachiaeque principatus, actu publico de die 27 Maji 1881, indepedentem a sublimi porta ottomanica regem, *Carolum I.* proclamavit,[5]) et *Joachimus*, graeci ritus orientalis patriarcha constantinopolitanus, autokephaliam valachicae, moldovicaeque graeci ritus orientalis ecclesiae (sui contendens eam juris esse), rerum gestarum ignarus, vel dominandi cupidus, impugnavit. Haec utcunque rem catholicam tangere non videbantur, tamen et in illa vestigia sua reliquerunt alta.

Neoproclamatus etenim rex *Carolus I.*, suae dignitatis memor, officiorum autem, nova dignitate impositorum sibi non immemor, in re catholica quamcunque sublaturus tutelarem auctoritatem extraneam, cum sacra romana sede, caesareoque Austriae imperatoris regimine rem feliciter ita composuit, ut qui hactenus *Bucurestii* residebat episcopus et catholicae per Valachiam missionis apostolicus visitator,

---

[1]) *Mosynopolis* in Ponto, minoris Asiae parte, occasum versus a Trapezunto.

[2]) Copia typographa in missionis archivo Jassiis.

[3]) Quae hucusque a *Salandarii* temporibus sunt adducta, quin specialis fons, unde notitia sit deprompta, nominetur, ex ore viventium, ocularium utpote testium narravimus.

[4]) Lapidis monumentalis inscriptio sequentis est tenoris: »Josepho Salandari. Franciscali. Conv. Eppo. Marcopol. Qui. Vice. Apostolica. In. Moldaviam. Missus. Pietate. Humilitate. Paupertate. Sollicitudine. Eggregius. Quae. In. Bonum. Comissae. Provinciae. Potuit. Omnia. Egit. Puellarum. Disciplinae. Virginibus. Sioniticis. Adductis. Consuluit. Sed. Cito. Nimis. Die XXIX. Decembris. MDCCCLXXIII. Evolavit. Ad. Superos. Anno. Aetatis. Suae. LI. M. (ense) VIII. Episcopatus IX. M(ense). VI. — Nicolaus. Josephus. Camilli. Picenus. Religione. Sodalis. Epus. Mosinop. Quartus. Ab. Illo. Missionem. Eamdem. Apostolicam. Adeptus. Sanctissimi. Viri. Cujus. Regimen. Expertus. Virtutem. Admiratus. Heic. Ossa, Transferri. Et. Monum. Poni. Curavit. Die XXIX Decembr. MDCCCLXXXI«.

[5]) Coronationis diploma de dato 22 Mai 1881.

archiepiscopalem cum sedis bucurestinae titulo sit adeptus dignitatem.

Graeci ritus orientalis, mense Novembri 1882 celebrata synodus patriarchae constantinopolitano per litteras respondendi consilium cepit, simulque responso de dato 28 Novembris 1882 autokephaliam vindicavit. Has litteras [1]) *romanensis* graeci ritus orientalis episcopus, *Melchisedek* noster, vir caeterum doctrinae laude notissimus, historicisque scriptis suis, publicam in lucem editis, si non res fidei spectant, de patria sua meritissimus, consignasse vulgo dicitur, suntque his in literis, quae leonem ex ungue cognoscere permittant. Facilis victoria; nam patriarcha constantinapolitanus juri suo, quod praetenderat, renuntiavit, [2]) sed elatus pugil episcopus ille, neocreatum rom. cath. archiespicopum et in illius persona rem catholicam tanta vehementia flagrantissimi quem hucusque celabat odii sui est aggressus, ut nemo mirari possit, eum in contentionum suarum deductione penitus oblitum esse tam logicae praeceptorum, quam rerum gestarum et politicarum et ecclessiasticarum. Quos non vituperare sed eliminare cupit, eos laudat, sacerdotes videlicet catholicos, quoad illorum vitam et agendi cum populo rationem; quos rumunae genti periculosissimos dicit, proprio clero, rudi segnique, velut exemplum proponit, imitatione dignissimum, et rem omnem ita pertractat, ut facile pateat, illius timorem, ne Rumunorum conversione caulis Domini locupletetur, non tam animarum zelo, quam terrenae prosperitatis causa, »non propter Jesum, sed propter esum« exortum fuisse, quo medendo studiosus, praeceps in avia deviaque ruit.

Quum haec ad adaequatam imaginem rei per Moldaviam catholicae conferre persuasum habeamus, uberius hisce de rebus disserere nobis concedatur, et eo magis, quo magis ad irritandos suorum animos consueto hodie hypomochlio, nationalitate, ut ita dicamus, utitur, quam catholicorum in Moldavia Valachiaque praesulum causa maxime periclitantem vult haberi.

Sed accedamus jam ad rem ipsam, quam perstringere necessarium esse arbitramur, licet in sacrae theologiae disciplinis minime simus versati. Fortassis autem id ipsum sententiae nostrae majus tribuet pondus, luculentiusque docebit, veritatis vim invincibilem esse.

Ut imprimis genuinam, et nullis — ut ita dicam — haereseos

---

[1]) Has litteras reproduxerunt ephemerides transsylvanae rumunae, »Transsylvania« vocatae, mense Decembri 1882, translatas in linguam rumunam, quum primitus graece fuerint conscriptae. Multum in illis eruditionis et rerum gestarum ad propositum finem scientiae, multum et salis et recti sibi conscii leporis, non minus autem tectae cujusdam injustarum praetensionum despicientiae, et quomodocunque se res habeant, auctoritatis ecclesiasticae vilipensionis.

[2]) Illius litteras, hanc renuntiationem continentes, ex originali graeco rumunam in linguam translatas, legere licet in ephemeridibus »Candela« nuncupatis et in usum graeci ritus orientalis cleri buccovinensis destinatis, anni 1885.

faecibus infectam probet graeci ritus orientalis ecclesiae doctrinam,[1]) non erubescit asserere, romanos colonos, quos *Trajanus*, Dacia devicta, hanc in terram deduxerat,[2]) non aliam quam hujus ecclesiae doctrinam secum adtulisse.[3])

Quinam autem hujus ecclesiae status in Rumuniae regno sit, sequentia docent quaerulosa Melchisedekii verba: »Sacerdotes obliviscuntur eorum, quae in seminariis didicerunt,[4]) conciones in ecclesiis nullae, populo nullum virtutum exhibetur exemplum, caupona domus communis omnibus, et cum judaeis contenditur in populi corruptione, cum quo mercaturae fiunt de functionum religiosarum pretio, sive de baptizmo sive de sepultura, vel aliis agatur.«[5])

[1]) Cf. Dr. *Nerset Marian:* »Pravoslavia romana etc.« Czernowitz 1886. 8. rum.

[2]) *Eutropio* teste (VIII. 6.) Trajanus victa Dacia *ex toto orbe romano* infinitas eo (i. e. in Daciam) hominum copias transtulerat ad agros et urbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decebali viris fuerat exhausta.« Coloni *ex toto orbe romano* conducti, prout plura centena simulacra diversissimorum paganismi deorum per antiquam Daciam effossa docent, et ut initio hujus operis manifestius demonstratum est, minimam ad partem erant christiani.

[3]) »Papismus« p. 92. E consulto factum reticetur, Rumunos a Bulgaris fidem suam accepisse. Probant hoc inter alia slavici termini technici, quibus plurimae res, divino servientes cultui, hodiedum designantur, sicut et usus litterarum sic dictarum Kyrillicarum, non latinarum; insuper linguam rumunam nullibi usus fuisse publici, quum et documenta publica priorum saeculorum, ad principis *Basilii Lupuli* tempora (aevo XVII. medio), sint idiomate slavico consignata. A primis ad sera saeculorum tempora, historia teste, novationes diversissimae, haeresesque doctrinam ecclesiae ritus orientalis graeci penitus deflectere fecerunt ab illa genuina doctrina, quam Melchisedek per Trajani colonos vult adductam et hucusque intactam haberi. Sectae hujus ecclesiae vel hodie numerosae, scribentique romanensi episcopo perbene notae, sed earum commemorasse, vel aliter hanc rem pertractasse, non conduceret ad finem propositum, qui non alius est, quam quacunque demum ratione id assequi, ut animi excandescant odio in romano-catholicos, non rumunae progeniei concives.

[4]) Non multa sunt obliviscenda. Nam post aliquot annos, in miserrima populari schola transactos, qui recipiuntur in seminaria, minimi valoris nanciscuntur eruditionem, utpote solummodo theologiae pastoralis maxime necessariam partem et ecclesiasticarum caeremoniarum seu liturgiae notitiam. Episcopus noster, famosi libelli non minus famosus autor, ipse fatetur, haec seminaria nullius esse valoris (*Papismus* p. 86.) et insuper episcoporum vigilantiae subducta (*Ibid.* p. 77.) Similem cleri statum quoad praeparationem ad sacerdotium et animarum curam, ante centennium *Bucovina* quoque, Moldaviae quondam pars, quum ad Austriam pervenisset, exhibebat. Notissimae sunt litterae supremi scholarum directoris *Marki* de dato: Czernowitz 26 Juni 1792 ad *Franciscum Thallinger*, Coronensem Transsylvanum, ad Soczaviensis scholae popularis rectoratum vocatum, ut *singulari cura* hos erudiat, qui finito secundo anno ad seminaria transituri sunt, *ut imbuantur scientiis* (in secunda classe popularis scholae!!!) *sublimae futurae dignitati adaequatis! (sic!)* Anno demum 1793 die 8 Junii, sub numero 2956 officium circulare c. r. *czernowicense* circulando publicavit, a gr. rit. ori. consistorio sancitum esse, ut in seminarium ii solum recipiantur, qui *tertiam* sic dictam *normalem classem* absolverunt. Sic annuatim summa petebantur, quod exemplum anno 1854 gr. rit. or. archiepiscopus *cibiniensis* in Transsylvania *Andreas Schaguna*, sequutus est, clerum eo modo nactus exemplarem.

[5]) »*Papismus*« p. 77.

Dissoluti, propriae missionis et dignitatis ignari, saecularis cleri pedisequi monachi sunt, quum ipsius Melchisedekii sententia monasteria nihil aliud sint, quam senum deficientium refugium, militum invalidorum asylum et hominum decrepitorum ac variis corporis defectibus morbisque laborantium receptaculum, quod nec fidei propagationi, nec morum culturae, nec literarum scientiis ullum praebeat emolumentum. [1]) Similiter et monialium aedes non sunt instituta christianae charitatis, industriae vel orphanorum educationis. [2])

Rebus ita compositis nemo mirabitur, populum et magnates nulla cleri sui reverentia moveri, fidei praecepta vilipendere et si non penitus indifferentes esse, tantum externam ad formam exercitia spiritualia sequi. [3]) Manifestissimum hujus indifferentiae documentum nuper defunctus publicarum regni scholarum supremus moderator *Conta* praebuit, proponens instructionis publicae legem, vi cujus publicis in scholis religionis doctrinae nullus locus concessus fuisset. [4]) In summa, verbo rem comprehendendo, graeci ritus orientalis ecclesiae status in *Rumuniae* regno non alius est, quam »omnis intellectualis et moralis culturae defectus in clero, totalis in populo et inter magnates religiosi sensus absentia. [5])

Inevitabilem horum malorum omnium sequelam praesaga mente non aliam dicit futuram, quam conversionem ad romano-catholicam ecclesiam, seu papismum, quod malorum summum illi, [6]) non ob animarum, ut ita dicamus jacturam, sed ob terrenos fines, ideo nimirum videtur, quia« populus mutata confessione genuinum quoque *nationis typum mutabit*, qui vel ideo maximi ducendus, quia politica rerum facies graeci ritus orientalis fideles in Rumunia, Servia, Bulgaria, Graeciaque coalitionem inire coget, cujus potentia futuris hostibus resistere poterint. [7])« — Duce Rossia ? ? ? — —

Et hanc romano-catholicam ecclessiam docet ubique victricem fuisse, non solum illa tenacia, qua semel conceptas intentiones prosequitur, verum etiam sua, quam non immutat organisatione. [8]) Dua-

---

[1]) *Ibid.* p. 104.

[2]) *Ibid.* p. 105. Oblitus est addere, multos pro forma fieri monachos, ut altiores ecclesiasticas dignitates assequantur. Dicimus *pro forma*, quia vix aliquot hebdomaduum noviciatu, seu probatione peracto, ad consistorialia munera etc. etc. redeunt.

[3]) *Ibid.* p. 76—79.

[4]) *Ibid.* p. 76.

[5]) *Ibid.* p. 79. Causas hujus indifferentismi cautus reticet, quum tamen in comperto sit, hunc deplorabilem statum ipsorum episcoporum grave peccatum esse.

[6]) *Ibid.* p. 79.

[7]) *Ibid.* p. 72. Sic argumentando Galli, Germani et quotquot gentium romano-catholicam fidem receperunt et profitentur, nationis suae typum mutaverunt et ideo coalitiones contra communes hostes inire nequeunt.

[8]) *Ibid.* p. 181.

bus magnis ideis illam a mille et aliquot centenis annis duci contendit, idea primatus seu dominii super omnes ecclesias christianas, et idea dominii super universum mundum, qua Romanorum quondam praepotentis imperrii successorem.[1]) Hoc ut assequatur, episcopos, et hos contra canonum leges in terras et urbes immittit, in quibus jam alii potestatem exercent ecclesiasticam[2]) et missiones instituit per clerum in locis, a fidelibus christianis[3]) et non a paganis occupatis. Episcopi, non ob religionem veniunt, sed ob politicas, modo occultas, dato secundo tempore manifestandas causas,[4]) et juvantur a clero suo literarum in scientiis versatissimo, viros numerante in apostolico suo munere zeloziossimos, ut et praedicatores eximios, candissimae vivendi rationis.[5]) Quod sacerdotibus hisce forte manet inaccessum, id moniales occupare tentant puellarum, futurarum matrum familias educatione, quarum opera quae nostrae confessionis sunt, pretio cadunt.[6])«

Hisce famosum libellum et illius — ut cuncta docent sibi potius et non suo populo timentem auctorem, qui se tollerantem et alienas in res non ingerentem dicit, — mittamus, ea praestanti laude contenti, quam os inimicum rei per Moldoviam catholicae non denegavit.

Episcopus *Camilli,* qui suis sumptibus diu desideratum seminarium — 1886 — fundavit et aperuit, et opera patris *Josephi Malinowski,* libris in fidei rerum studio necessariis componendis providit, quo fidelium necessitatibus consulatur, commissum sibi gregem gratitudinem quoque docebit illam, quae post Deum Ter Opt. Max. reginini debetur, benigno, sapienti, justoque, sub cujus non tutela solum, verum et protectione romano catholicus Moldaviae populus, quotiescunque supplices ad *creatorem et redemptorem* suum fudet preces, illius non obliviscetur voti, quo romanus quondam (25. Decbr. 800) populus *Carolum Magnum* gratum et aceeptum sibi testatus est.[7])

Et Moldaviae romano-catholici praecationis adinstar consona voce clamare non desinent:

»C a r o l o, regi nostro, vita! salus! et gloria!«

---

[1]) *Ibid.* p. 79.

[2]) *Ibid.* p. 84. Reticet autem, hunc jam praesentem episcopum graeci ritus orientalis esse, quem nullus catholicorum suum dicet, cuique nullum in catholicos jus competit, quum ii communi humano jure, divinaque institutione proprium postulare possint. Leopoli in Galicia tres habitant archiepiscopi diversorum rituum catholicorum, quin hoc facto canonum leges violatae dici possint.

[3]) i. e. »*orthodoxis*,« ut sese jactitant asseclis orientalis graeci ritus ecclesiae.

[4]) *Ibid.* p. 72. Graeci rit. or. episcopis e x o f f i c i o nulla missio politica???

[5]) *Ibid.* p. 79. seq.

[6]) *Ibid.* p. 82. sq.

[7]) Cf. *Einhardi :* »Annab« in *Pertz* : »Monum Germ.«

ERRATA TYPI.

Pag. 6, versu 7, loco : *voceat* lege : *vocat*, et versu 17, loco : *unavice*, lege : *una vice*, et versu 20, loco : *promovenda e*, lege : *promovendae.*
» 7, nota 2, » *nii*, lege : *mai.*
» 12, in nota, versu 13, loco : *Hoc* lege : *Haec* et nota 8, loco : *Tharaniewicz*, lege : *Szaraniewicz.*
» 15, in nota, versu 8, loco : *qui jam*, lege: *quos jam.*
» 16, versu 30, loco : *Tartarorum*, lege : *Tatarorum.*
» 18, » 1, » *sit dei*, lege : *sit diei.*
» 19, » 1, » *Tartaros*, lege : *Tataros* et nota 1, versu 5, loco : *Tartaris* lege : *Tataris.*
» 23, » 23, » *in oris, hujus terrae*, lege : *in oris hujus terrae.*
» 25, » 26, » *consecratum*, lege : *consecrato.*
» 26, » 30, » *dicique pesse*, lege : *dicique posse.*
» 34, nota 3, versu 2, loco : *Coeterum* lege : *Caeterum.*
» 38, » 5, » 2, » *venit* lege : *velint.*
» 39, » 2, » 3, » *paupertatis volo* lege : *paupertatis voto* et versu 6, loco : *faitae nullibi* lege : *factae, nullibi.*
» 41, versu 21, loco : *petrahebat* lege : *pertrahebat.*
» 46, » 30, » *speciali tutelae*, lege : *speciali tutela.*
» 48, » 9, » *decanalem fuisse sedis*, lege : *decanatum fuisse sedis.*
» 49, » 23, » *Moldovia* lege : *Moldavia.*
» 53, » 13, » *verum etiam ad*, lege : *verum ad* et nota 3, lin. 2, pro *Hajden* lege : *Hajdeu.*
» 55, nota 6, loco : *nota 218*, lege : *ut nota 4, pag. 40.*
» 56, versu 16, loco : *quibus :* lege : *qua.*
» 57, » 27, » *pictam Romam transmittendam*, lege : *picta, Romam transmittenda* et versu 28, loco : *converiendae*, lege : *convertendae.*
» 58, nota 1, loco : *Przezdiecki*, lege : *Przezdziecki.*
» 60, » 9, versu 2, loco : *cui poco*, lege : *chi poco.*
» 62, » 3, » 7, » *perhibeatur favores* lege : *perhibeatur, favores.*
» 63, versu 22, loco : *pro Szegedino* lege : *pro : Szegedino,*
» 64, » 2, » *Baccoviae que*, lege : *Baccoviaeque.*
» 68, » 6, » *eum facit curam*, lege : *eam facit curam.*
» 69, » 13, » *pontificalius* lege : *pontificalibus* et versu 17, loco : *induduta* lege : *induta.*
» 71, versu penultimo, loco : *et aliae* lege : *et alia.*
» 75, » 2, loco : *fiusse* lege : *fuisse.*
» 77, » 1, » *illud* lege : *illum.*

Pag. 80, versu 20, loco: *terrae tribunas* lege: *terrae tribunal* et versu 28, loco: *tris stissimis* lege: *tristissimis*; nota autem 1, versu 4, loco: *7 e* lege: *7 et.*

» 81, » 10, » *Chmielniecki* lege: *Chmielnicki.*

» 84, » 9, » *matrimonio,* lege: *matrimonia.*

» 86, » 7, loco: *arctam* lege: *arctum* et versu 30, loco: *Poloniae regem caesaream* lege: *Poloniae regem, caesaream.*

» 88, » 22, » *pollicistus* lege: *pollicitus* et versu ultimo, loco: *simulquae* lege: *simulque.*

» 89, » 9, » *promovendaequae* lege: *promovendaeque* et nota 3, versu 10, loco: *in episcopi fontibus* lege: *episcopi fontibus.*

» 90, » 14, » *nomindatur* lege: *nominatur* et versu 25, loco: *nobis in hujus* lege: *nobis hujus,* loco: *Sadok Bazacz* lege: *Sadok Baracz.*

» 101, » 18, » *perigenda* lege: *erigenda* et versu 31, loco: *occorrit* lege: *occurrit.*

» 107, » 23, » *vei* lege: *vel.*

» 111, » 20, » *sed* lege: *se* et versu 27, loco: *exercita* lege: *exercitu.*

» 118, » 3, » *illi religiosae turbae,* lege: *illae religiosae turbae* et nota 6, versu 7, loco: *sib dicti* lege: *sic dicti.*

» 119, » 26, » *hoe* lege: *hoc.*

» 131, » 10, » *reliqvisque* lege: *reliquisque* et versu ultimo, loco: *et nota,* lege: *cit. nota.*

» 133, » 1, » *posterum* lege: *posterorum.*

» 134, » 2, » *Impetitores* lege: *Impetiti.*

» 138, nota 5, versu 3, loco: *profligare* lege: *profligari* et versu 10, loco: *datoquae* lege: *datoque.*

» 139, versu 6, loco: *neb* lege: *nec.*

» 144, » 35, » *potuisset continuit* lege: *potuisset, continuit.*

» 148, » 37, » *destimatum* lege: *destinatum.*

» 154, » 9, » *Februrio* lege: *Februario.*

» 156, » 26, » *altara* lege: *altera.*

» 158, nota 2, versu 2, loco: *dirimehat* lege: *dirimebat.*

» 159, versu 33, loco: *petierunt idonearum* lege: *petierunt, idonearum.*

» 162, nota 4, versu 11, loco: *popularis a* lege: *popularis.*

» 163, » 2, » 3, » *hebdomaduum* lege: *hebdomadum.*

» 164, » 7, loco: *Annab.* lege: *Annal.*